MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80628-8

AUTHOR:

MAHLER, ANTON

TITLE:

DE PRONOMINUM PERSONALIUM APUD...

PLACE:

CUSSALINI

DATE:

1876

Master Negative #
92-80628-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Mahler, Anton, 1853-
De pronominum personalium apud Plautum collocatione; dissertatio inauguralis philologica quam... publice defendet auctor Antonius Mahler...
Cussalini, typis C. G. Hendess, 1876.
63 p. 19½ cm.

Thesis, Creifswald, 1876.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9.7.93 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE PRONOMINUM PERSONALIUM APUD PLAUTUM COLLOCATIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXV MENSIS NOVEMBRIS ANNI MDCCCLXXVI
H. XII.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ANTONIUS MAHLER
POMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:
J. NIEJAHR, CAND. PROB.
A. SCHIMBERG, STUD. PHIL.
E. SUCCOW, STUD. PHIL.

CUSSALINI
TYPIS C. G. HENDESS
MDCCCLXXVI.

Adolfo Kiessling

S.

Plautinarum fabularum studium ex quo tempore diligentius coli atque tractari coeptum est, novas in dies nobis offert quaestiones atque difficultates dignas, in quas ii, qui in philologiae studiis quasi tabernaculum vitae collocaverunt, inquirant. Cum autem tot tantaeque auctoritatis viri docti et in emendando constituendoque verborum contextu harum fabularum et in eruendis Plautini sermonis legibus elaboraverint, certe quasi periculosae plenum opus aleae tractare videtur, si quis iuniorum in hanc eorum provinciam involare animum inducit, praesertim si ei certandum est contra ipsam illorum auctoritatem. Quod mihi quadam ex parte obtinget, qui certas quibus pronominum personalium collocatio in Plautino sermone regatur leges explicare mihi proposuerim; quae cum, quoad equidem scio, a nemine usque ad hoc tempus accuratius exploratae sint, nisi quod egit O. Seyffertus in Philologi vol. XXV, p. 459 squ. in transcursu de pronominum *egomet* et *tute* collocatione, factum est, ut vel doctissimi fabularum nostri poetae editores saepius a recto aberraverint. Itaque si mihi contigerit, ut evincam certis utique legibus usum esse Plautum in collocandis quae dixi pronominibus, confido fore ut quod dicit Beckerus de quaestionibus, quibus syntaxin interrogationum obliquarum felici successu illustravit, idem de hac quoque mea qualicumque opella valeat: aliquid inde fructus redundaturum esse ad priscorum scriptorum crisin cautius exercendam. Sed cum iam in eo sim, ut collatis omnibus exemplis huius usus Plautini leges eruam,

ante omnia venia mihi petenda est, si in tanta exemplorum multitudine unum alterumve, quamquam satis diligenter fabulas perlegi, oculos meos fefellit.

Pars I.

Duarum partium, in quas materiam tractandam dividam, priore docebo leges, quae a Plauto in binorum pronominum personalium concursu observatae sint:

I. si nominativus pronominis personalis cum casu obliquo, sive nude posito sive ex praepositione apto, in eodem enuntiato coniunctus est.

II. Deinde agam de horum pronominum collocatione, si alterum est casus subiecti accusativi cum infinitivo.

III. Tum pergam demonstrare, quomodo Plautus haec pronomina collocaverit, si bini casus obliqui in eodem enuntiato exstant.

IV. Quartum caput erit de horum pronominum collocatione, si alterum est subiectum ablativi absoluti.

V. Finem huius partis faciam capite quinto, quo exponetur, quid a Plauto observatum sit, si in alterius pronominis casu obliquo sententiae vis posita est.

Altera deinde parte perpauca illa tractabo exempla, quibus terna pronomina inter se iuncta reperiuntur.

Caput I.

A.

Quam legem Plautus secutus sit, si nominativus pronominis personalis cum casu obliquo solo aut ex praepositione pendente in eodem enuntiato invenitur, patet ex hisce exemplis:[1])

1) Praeter novem illas fabulas a Ritschelio editas usus sum his editionibus: significavi in Aulularia numeros secundum Wagnerum; in Casina, Epidico, Poenulo Geppertum, in Truculento Spengelium secutus sum; in Amphitruone, Asinaria, Captivis, Curculione, Rudente Fleckeisoni editionem adhibui, collatam cum Parei notis criticis; Cistellariae versus ex sola Pareana allati sunt.

Amphitr. prol. 40 104 *Nam* ego vos *novisse credo iam, ut sit meus pater.*[2]) 124; 279 285 348 357 373 380 387 398 399 416 434 457 511 518 531 539 556 565 578 squ. *satin plane* (ego) *hoc nunc, Satin diserte esse, ere, videor* tibi *locutus?*[3]) 583[4]) 607 660 672 682 725 743 748 752 758 764 800 817 818 821 822 845 854 885 906 squ. 912 1025 1034 1035 1036 1131.[5]) **Asin.** 47 67 106 112 139 140 145 155 160 161 163 254 300 356 375 412 504 515 608 609 613 614 654 658 659 660 688 700 713 714 827 835 squ. 837[6]) 901 squ. **Aul.** 53 58 59 132 133 134 163 184 188 215 221 229 248 249[7]) 250[8]) 282 321[9]) 328 331 squ. 377 398 squ. 427 440 453 541 542 555 561 565 576 615 622[10]) 653 682 689 690 700 703 717 727 728[11]) 755 756 762 764 785 787 804 *Certo enim* ego *vocem hic lo-*

2) Non dubitavi etiam eos locos, qui sunt accusativi cum infinitivis, in exemplorum numerum recipere, si alterum pronomen in iis casus subiecti est, cum praesertim poeta noster saepissime pronomen, quod est subiectum acc. c. inf., iuxta illud, quod est subiectum enuntiati primarii, ponere soleat, et haec enuntiata artissime inter se cohaereant. Omisi autem ea exempla, in quibus alterum pron. non est subiectum acc. c. inf., nisi forte tam arte cum altero pronomine coniunctum est, ut nullum aliud vocabulum intercedat.

3) *ego* add. Fleckeisenus, qui nunc iam in annal. suis 1867, p. 637 hanc scripturam propius ad librorum auctoritatem accedentem proposuit: ***Sátin hoc plane, sátin diserte esse, ére, nunc videor tíbi locutus?*** Sic enim Pareus tradit haec verba, nisi quod ***esse*** post ***locutus*** collocat.

4) ***At ego*** B; ***At te ego faciam hocedie*** Ritschelius, N. Pl. Exc. p. 92; vix recte.

5) ***ego*** non est in libr. mss.

6) v. 843 squ. (V. 1. 15 squ.) ***atque ego quidem hercle ut verum tibi dicam, pater, — Ea res me male habet*** eam ob causam in exemplorum numerum non recepi, quod ***ego*** subiectum enuntiati finalis ***ut verum tibi dicam, pater,*** sit non necesse est, sed anacoluthon statuere mihi etiam melius videtur.

7) ***tu*** deest in Jγ; in B a m. sec. supr. lin. add.; ***ut me*** D, cuius scripturas compertas habemus ex Lorenzii progr. berol. anni 1872.

8) ***te*** deest in B; ***ego te me*** . . cum ras. D.

9) ***me*** addunt editiones.

10) Auctore Spengelio ad Trucl. I. 2. 32 rectius scribendum est ***praestrigiator***, quod etiam est in BD, nisi quod in B ***prestr.***

11) ***ego emerui*** J et ex corr. γ; ***ego-Emerui*** c. lac. B; ***ego-merui*** c. lac. D; ***de te conmerui*** Brixius.

quentis modo mi *audire visus sum.*[12]) 808 814 816[13]). **Capt.** prol. 3 6 14; 223[14]) 229 squ.[15]) 238 263[15]) 301 312 314 339 364 371 418[16]) 431 434 436 443 444 449 *(Iam* tu) *sequere* me, *viaticum ut dem a trapezita tibi.*[17]) 564 571 575 577 609 631[18]) 691 717 squ. 727 739 841 855 857 863 865 869 870 890 892 899 933 957[19]) 985. **Curcl.** 9 12 84 100 102 138 139 squ. *Ne* ego, *si fidem* (tu) mecum *servas, aurea pro statua Vineam* tibi *statuam.*[20]) 146 191 208 209 212 254 384 385 386 437 493 515 520 535 536 537 540 541 squ. 545 554 568 569 576 613 squ. 619 627 629[21]) 640 651 659 675 *Et* ego (a me) *huic victum spondeo.*[22]) 687 692 701[23]) 713 723 724 726 squ. 728[24]). **Cas.** prol. 11 squ; 3 21 25 29 33 39 51 *Nunc ne* tu te *mihi respondere postules.*[25]) 81 121 128 131 163 178 186[26]) 195 209 215 256 260 333 490 511 545 578 623

---

12) sic Wagnerus; ***me*** BDJγ.

13) ***Egon ut emittam manu te*** Brix., ***egone te emittam*** BDγ (nisi quod in D ***emitteam***), quod retinere voluit Seyffertus Philol. XXVII, p. 439 squ.

14) ***Nam si erus mihi es tu*** Pareus; sed cf. Mueller., P. P. p. 299, 763 et Brixii editionem.

15) ***me*** in v. 229 et ***ego*** in v. 263 non exstant in libris.

16) ***tu*** add. Fleckeis., ***Opsequiosus mihi fuisti semper*** Brix.; cf. Fleck. epist. crit. ad Frid. Ritschelium p. 22.

17) ***iam tu*** add. Fleck., (epist. crit. p. 6), sed inconsiderato hoc factum esse dicit atque in eiusdem epist. p. 13 ita scribendum esse censet: ***Sequere me viaticum ut dem a trapessita tibi;*** item Brixius; cf. Mueller., P. P. p. 547 squ.

18) ***At ego video maior maiorem*** Pareus, nulla discrepantia codd. adnotata.

19) ***ne spem ponas, me bonae frugi fore*** Pareus cod. B secutus.

20) ***Tibi nae ego, si fidem servas mecum, Vineam pro aurea statua statuam*** Pareus; ***Tibi ne ego*** B; cf. Mueller., P. P. p. 405.

21) ***Miles, quaeso ut mihi dicas*** Pareus.

22) ***Et ego hoc idem unum spondeo*** Pareus cod. B secutus.

23) ***ego*** non est in libris.

24) Huius fabulae v. 721 (V. 3. 43) Fleck. in ed. sua hoc modo scripsit: ***Tum me sequere.*** || ***Quo sequar te?*** || ***Ad tarpessitam meum***, cum secundum codd. scribendus sit: ***Tu me sequere.*** || ***Quo sequar ego te?*** In epist. crit. autem p. 13 dicit hanc huic versui formam ope cod. B reddendam esse: ***Tu me sequere.*** || ***Quo sequar te?*** || ***Ad trapessitam meum***, contra quam recte affert Mueller., P. P. p. 650 in codd. esse ***sequar ego te.***

25) ***me tibi*** pro ***te mihi*** Palat. et Paris.

26) ***ted*** pro ***te*** recte Ritschelius, N. Pl. Exc. p. 45.

675 690 803 805 822 squ. **Cist.** I. 1. 1; I. 1. 7; I. 1. 41; I. 1. 48; I. 1. 55; I. 1. 79; I. 1. 85; I. 2. 29; I. 3. 7; II. 1. 2; II. 1. 40; II. 1. 47; II. 1. 50; II. 3. 17; II. 3. 21; II. 3. 59; II. 3. 66; III. 2. 6; IV. 1. 1; IV. 2. 53; IV. 2. 58; IV. 2. 77 squ.; IV. 2. 107; IV. 2. 109. **Epid.** 25 44 82 squ. 95 126 143 145 148 151 167 180 238 296 297 325 331 409 445 453 465 536 573[27]) 578 600 604 613 621 635 641 651 652 667 700. **Bacch.** 52 58 83 84 93 99 148 184 189 258 385 525 530 561 564 571 572 637 678 728 739 822 861 886 888 965 1028 squ. 1036 1043 1054 1082 1160 1168 1176 1177. **Most.** 4 47 69 168 174[28]) 176 182 194 196 215 218 228 234 305 322 331 365 368 386 388 512 526 551 584 607 squ. 609[29]) 683 748 757 810 squ. 837 893[30]) 896 905 923 924 931 1025[31]) 1039[32]) 1116 1119 1131 1144[33]) 1145[34]). **Men.** 111 120 148 216[35]) 271 296 299[36]) 305 324 385 389 402 408 466[37]) 500 512 515 545[38]) 546 559 607 619 631 635 677 680 689 693 722 738 744[39]) 745 778 782 784[40]) 820 835[41]) 912 924

---

27) ***te ego*** cod. Oxon.; ***te*** omm. Palat. et Paris.

28) ***Hercle ego ob hoc verbum te, Scapha, donabo hodie aliqui merito*** R; ***Ergo ob hoc—ego hodie aliqui*** libri; cf. nunc iam R, N. Pl. Exc. p. 90.

29) ***tu me istis*** R; ***me tu istis*** CDF; ***me tu tuis*** B; ***me istis*** A.

30) ***ego*** non est in B.

31) ***te*** Lambinus, ***ne*** libri.

32) ***Eadem ego*** Camer.; ***eademque*** CDFZ., ***ea***ⁿ***demque*** B.

33) ***hanc tute ad*** R; ***hanc . . . . ad*** cum lac. BD; ***hanc ad*** C.

34) ***metuam mihi atque ut tu*** R; ***metuam . . . . . ut tu*** BCD, nisi quod ***tu*** ^{ut} D.

35) ***me*** add. Lambinus.

36) ***tu*** add. Pylades; recte nunc iam R, N. Pl. Exc. p. 50 ***Set ubi novisti med?*** cf. Brixii editionem.

37) ***sed dico*** B; ***si ego*** FZ; sedco C, ***sedeo*** ^{ego} D.

38) ***ego*** add. Pylades; recte nunc R, N. Pl. Exc. p. 49 ***Da sodes aps ted: ego post reddidero tibi;*** cf. Brixii edit.; Bergk., beitr. z. l. gr. p. 48.

39) ***tu med hominem esse*** R, cf. N. Pl. Exc. p. 42; ***tu hominem*** libri.

40) ***ego*** add. R.

41) cf. R, N. Pl. Exc. p. 42 et Brixii editionem.

940[42]) 941 951 990 1024 1027 1037[43]) 1038[44]) 1058 1070 1077 1092. **Mil.** 23 115 196 197 200 231[45]) 232 *At* (tu) *inperti*, *amice*, me *quod commentu's.*[46]) 282 289 318 344 366[47]) 379 401[48]) 408 422 471 478 496 537 661 662[49]) 678 *Liberae sunt aedes*, *liberum autem esse* egomet (me) *volo.*[50]) 714 745 771 844 860[51]) 963 1015 1138 1158 1192 squ. 1202[52]) 1206 1207 *Item illinc* ego te *liberabo*, *nam etc.*[53]) 1212[54]) 1243 1265 1267[55]) 1345 1353 1375[56]) 1426[57]). **Merc.** 150 176 179 186 307 316 317 323 387 422 481 496 505 530 562 618 627 631[58]) 638 719 761 800 836 852 853 854 886 889 891[59]) 899 909 929 930[60]) 998. **Pseud.** 9 squ. 16 20 73 92 101 103 222[61]) 232 240[62]) 241 275 309 312 316 squ. 338 347

42) recte nunc iam R, N. Pl. Exc. p. 37 ***egomet haec ted arguo; hec te*** enim BCD; sic etiam Brixius.

43) ***ego*** R; omm. libri atque Brixius, recte.

44) ***tu*** add. R.

45) ***Et ego te inpetrare*** Bothius; ***et egom inpetrarem*** CD et (nisi quod ***imp.***) Ba; ***et ego me impetrare*** Bc.

46) ***tu*** add. Guyetus ad Camerarii emendationem: ***at imperti amice me quod; aut inparte mici pare me quod*** Ba; ***at imparti me quod*** F. Soph. Bugge, Tidsskrift for Philologi og Paedagogik VI, (saerskilt Aftryk p. 10) hanc prop. emend.: ***Auden participare me quod commentu's?*** fortasse recte.

47) ***Tu te*** Gruter., ***tute*** A; ***tute me*** vel ***tu te me*** reliqui.

48) ***te*** add. R.

49) ***ego ad*** R secundum Dousam; ***apud*** libri.

50) sic R; ***liber sum autem ego met. volo libere*** cum rasura Ba; Bugge, l. l. p. 11: ***liber autem egomet volo vivere;*** etiam propius ad tralaticiam scripturam accedit haec Lorenzii: ***liberum autem ego me volo vivere.*** Aliam emendationem proposuit O. Seyffertus, Philol. XXV, p. 438 squ.

51) ***ego*** add. R.

52) ***me tam*** Camer; ***mittam*** B.

53) sic R; ***Et illem agotelli illibera bonam*** B; ***et idem ego te liberabo nam*** D.

54) ***tibi*** FZ, ***mihi*** BCD.

55) cf. R, N. Pl. Exc. p. 50, qui ***ted*** pro ***te*** suadet.

56) ***cum egomet*** Camer.; ***cum ego et*** BCD.

57) ***ego te*** AB; omm. reliqui.

58) ***ego me*** R, ***egomet*** libri.

59) ***tibi*** add. Acidalius.

60) ***Egomet me moror*** Bothius; ***egomet memor*** Prisc. VII, p. 738 (rec. Hertz. I. p. 301); ***ego me moror*** BCDZ.

61) ***tu*** add. R.

62) ***iam ut tu med esse voles*** R; ***iam ut voles me esse*** libri.

350 359 406 466 475 508 509 518[63]) 605 619 633 634 647 674 713 773 801 868 872 888 917 926 937 939 944 946 972 986 1040 1057 1089[64]) 1147 1183 1195 1200 1226 1295 1320. **Poen.** 127 129 squ. 141 142 150 297 305 333 345 358[65]) 361 379 421 488 squ. 506 511 533 592 621 629 649 662 667 880 914 950 961 1173 1206 1217 1219 1226 1227 1230 1283 1289 1371 1386 1391 1398. **Pers.** 30[66]) 41 50 109 133 134 143 188 189 190 192 213[67]) 218 219[68]) 235 284 286 295[69]) 324 370 397 398 405 424 433[70]) 461 533 570 582 593 602 619 635 697 733 743 763 770 815 819 827 828 838 850. **Rud.** 121 188 squ.[71]) 233[72]) 244 363 388 430 440 518 540 578 627 635 691 692 721 730 731 732 739 769 771 800 924 939 941 944 945 968 1008 1028 1049 1055 1068 1077 1092[73]) 1115 1118 1125 1132 1134 1136 1255 1367[74]) 1385 squ. 1396 1413. **Stich.** 37 squ. 41 48 98 104 111 136[75]) 149 255[76]) 326 368 445 465 485 489 537 546 547 549 581 604 666 *Verum (hercle* ego *dico* tibi).[77]) 689 701 718 743. **Trin.** 46 61[78]) 67 71[79]) 83 87 94 173 184[80]) 189 203 225 281 303 325

63) ***tu*** add. R.

64) ***tute*** add. R.

65) ***ego*** add. Geppertus.

66) ***Si tute tibi*** Camer.; ***Sit ut tibi*** CD.

67) ***ergo*** libri, correx. Camer.

68) ***ego*** add. R, qui nunc (N. Pl. Exc. p. 38) probat Guyeti ***ex ted.***

69) ***tun*** A, ***tunc*** reliqui.

70) ***tu*** add. R.

71) ***me*** abest a B; in D hic totus v. plane omissus est.

72) ***tune*** et ***me*** non exstant apud Pareum.

73) ***ego*** nondum exstat apud Pareum.

74) ***tu*** deest in libris.

75) ***tu me*** A; ***me tu*** reliqui.

76) ***tu*** add. R.

77) haec verba debentur coniecturae Ritschelii.

78) ***te*** pro ***tu***; ***m. inprudentem*** A; ***mihi imprudenti*** reliqui; corr. R.

79) ***tu me mihimet*** A; ***tute*** (vel ***tu te***) ***mihi me*** reliqui.

80) ***Ego me*** Lambinus, et ut videtur A; ***egomet*** reliqui.

342 370 372 378 382 391 463 495 635 636 663 680 688 716 717 802[81]) 918 923 952 968 975 977[82]) 984 1060[83]) 1080 1099 1109 1157[84]). **Trucl.** I. 2. 12, 36, 39, 59[85]), 98, 106; II. 2. 13, 21, 22, 25, 28 squ.; II. 4. 11, 59, 67; II. 5. 12 (17); II. 6. 20 *Scio ego hoc.* tu *malum* me *monitura's, me maleficio vinceres?*[86]) 54; II. 7. 31 Tun me *ais inpudentem esse?*[87]) 45, 51, 65, 68; III. 2. 7 *Quin* tu ad me *accedis?*[88]) IV. 2. 19, 49; IV. 3. 1, 3, 7, 48, 61, 66, 69, 70; V. 29, 30, 48, 66[89]).

His tot exemplis allatis iam apparet, quam legem Plautus in collocandis his pronominibus secutus sit: **semper enim nominativum pronominis posuit ante casum obliquum.** Quae collocatio quo simplicior videtur esse, eo magis sermonis cotidiani naturae consentanea est; neque hoc est proprium modo linguae latinae vel solius sermonis Plautini, sed ne in ceteris quidem linguis alia lex observatur, in graeca, germanica, aliis, nisi accedunt aliae condiciones, quae diversam collocationem postulant, eaedem fere, quae apud Plautum quoque respiciendae sunt; de his autem cum mihi infra in capite V agendum sit, hoc loco non iam dicendum erit.

B.

Postquam priore huius capitis parte constituimus normam, quam Plautus in collocando pronominis personalis nominativo

81) *te* add. Hermannus.

82) *te* add. R.

83) *ego me te velle* pro *egomet te velle*, quod est apud Ritschelium, Brixius; cf. eius notam ad hunc v. in app. crit. p. 127, ed. II.

84) *Sponden tu ergo* R; *spondent ergo* CDE; *sponde nergo* B.

85) *abstete* Geppertus; *absce* B, *abste* CD; R, N. Pl. Exc. p. 38 recte proposuit *abs ted.*

86) sic Spengel.; *Cui adhuc ego tu mala meam emonet ruria* Ba.

87) sic Spengel.: *Tune asin pudentem me esse* BCD (nisi quod *tune* et *ansin* CD).

88) sic Spengel.; *Quid vis qui tuam* B, similiterque CD.

89) *hercle vero mecum* Spengel.; *vergo a mecu* B; *vergo ame Cum* CD; cf. ad hunc v. Dombart., Philol. XXVIII, p. 738 squ.

observavit, nunc iam nostro iure et confidenter eos locos tractabimus, qui cum in fabularum contextu nostro ab ea abhorreant, ad regulam propositam exigendi videntur esse. Cuius emendationis ut duo genera distinguamus, optimum factu erit: primum enim non raro factum est, ut viri docti, hac vel illa causa ducti, a codicum auctoritate recesserint atque pronominum legitimam et in libris traditam collocationem immutaverint; quae restituenda est; tum vero agendum est de illis versibus, qui librariorum oscitantia corrupti sunt et emendationem efflagitant.

I.

a.

Ac primum quidem eos tractabo versus, in quibus pronominum tradita collocatio ab editoribus male contra libros mutata est; simul vero eos versus sanabo, in quibus dissentientibus codicibus editores deteriorem scripturam iniuria amplexi videntur esse. Hi igitur versus ad normam supra propositam restituendi sunt:

1. *Aul. 774* (IV. 10. 51):

Máter est Eunómia. ‖ Novi génus. nunc quid vis? ‖ 'Id volo Nóscere: filiam *éx te tu* habes? ‖ 'Immo eccillám domi.

Haec est personarum descriptio in BJγ; Dautem exhibet: *vis* ~~~~ (haec lineola signum mutatae personae est) *id volo Noscere filiam* ~~~~ *ex te tu habes* ~~~~ *immo ecillam domi.* Quae scripturae non modo cum lege nostra pugnant, sed etiam cum totius loci sententia et cum Plauti dicendi genere; secundum enim ea, quae optime Beckerus in Studemundii Studiis p. 148 extr. disseruit, verba *Novi genus. nunc quid vis, id volo Noscere* uni eidemque personae tribuenda sunt; cf. exempli gratia Poen. 1119: *Novi. sed ubi sunt meae gnatae? id scire expeto.* Itaque si quis praeterea perlustraverit ea,

quae idem Beckerus p. 142 squ. de hoc ipso loco copiose explicuit, quae equidem omni ex parte comprobo, censebit, opinor, et sententiae et Plauti dicendi usui aptissimam esse hanc scripturam, quam iam Bothius ex cod. Helmstadiensi eruit:

Eucl. *Novi génus. nunc quid vis, íd volo*
Nóscere ex te. Lic. *Fíliam tu habes.* Eucl. *Immo eccillám domi.*[90])

2. *Curcl. 305* (II. 3. 26):

Haú (me) magis cupís, quam *te ego* cúpio. ‖ O mea opportúnitas.

Fleckeisenus mutavit librorum scripturam *ego te* atque in initio versus *me* inseruit; unde profectus Muellerus (P. P. p. 31, cf. etiam p. 369), ut hoc enuntiatum etiam melius sequenti responderet, *Haú tu me magis cúpis* proposuit, quod ferri nequit, nam tum aut scribendum esset: *quam te ego cupio,* aut *quam egŏ' te cupio.* Neque vero ego iustam causam invenire possum, cur non cum Bothio[91]) retineamus traditam hanc scripturam:

Haú magís cupis quam égo te cúpio. ‖ *Ó mea ópportúnitas,*

ita ut hiatum satis usitatum in diaeresi et in personarum mutatione admittamus.

3. *Curcl. 656* (V. 2. 56):

Hic ést quem *tibi ego* míssi natalí die.

Libri scripti, si quid ex Parei silentio concludere possumus, *ego tibi* exhibent; transposuit autem Fleckeisenus pronomina, quantum ego video, ut evitaret pronominis *egŏ* oxytonesin. [Num vitare voluerit *egó* producta ultima syllaba (cf. Mueller., P. P. p. 31), diiudicare non audeo, cum ita non necessario metiendum sit]. Equidem nescio an nihil mutandum sit; nondum enim mihi persuadere potui *ego* pyrrhichii

90) cf. Mueller., P. P. p. 603.
91) nisi quod ille ***mage*** exhibet, de quo cf. Lachmannum ad Lucret. VI, 1262.

ultimam syllabam versus ictu acui non posse (cf. Mueller., P. P. p. 35); quodsi revera ita sese habet, nonne tum praestat:

Hic ést, ego quem tibi míssi natalí die?[92])

4. *Bacch. 499* (III. 3. 95):

'In *te ego* onus hoc ómne inpono. Ly'de, sequere hac
mé. ‖ Sequor.

Recepit Ritschelius scripturam cod. A, cum reliqui libri praebeant *te ergo*, quod retinendum censeo; ac ne vocabula *hoc onus* quidem contra codicum auctoritatem transponenda erant, cum multo melius *hoc* et *omne* in versus arsi ponantur (cf. Pseud. 1154: *Hóc* argentum ut mihi dares?), quam *onus* et *omne;* recte igitur traditam collocationem servavit Fleckeisenus. Itaque acquiescendum est in Bothiana scriptura:

'In te ergo hóc onus ómne inpóno.

5. *Mercat. 544* (III. 2. 1):

Tandem ímpetravi, *me égomet* ut corrúmperem.

Impetravi ut egomet me BC, Ritschelius autem rursus cod. A sequi voluisse videtur, quippe qui exhibeat *impetravi . . . . ut;* sed hic quoque Palatinorum scriptura:

Tandem ímpetravi, ut égomet me corrúmperem

praeferenda est, quam etiam commendant Seyffertus, Philol. XXV, p. 461 et Muellerus, P. P. p. 33.

6. *Poen. 562* (III. 1. 68):

Quín etiam decíderint vobis fúlmina in talós velim. ‖
'At edepol *tibi nós* in lumbos línguam atque óculos ín
solum.

Sic mutavit Bothius librorum scripturam *nos tibi;* legitimam pronominum collocationem si retinere velimus scribendo:

92) Hyperbaton vero ***ego quem*** offensionem nullam mihi habere videtur, cf. enim eiusdem fabulae v. 114 squ. (I. 2. 21 squ.): Vinipollens, lepidus Liber ***Tibi qui*** screanti siccae semisomnae Adfert potionem etc. et Bacch. 532: Set veniam ***mihi quam*** gravate dedit pater de Chrusalo (sic Fleckeisenus secundum libros).

'At edepol nos ín lumbos tibi línguam atque oculos ín solum,[93])
evanescet allitteratio elegantissima *lumbos linguam.* Cui rei si quis satis momenti attribuet, is Bothianam scripturam retinere poterit; defenditur enim manifesta oppositione, propter quam *vobis* (v. 561) et *tibi* (v. 562) cum vi quadam proferuntur; [qua de re cf. ea, quae infra in cap. V exponemus].

7. *Poen. 692* (III. 3. 88):

Ibi *té* replebo *ego* úsque unguentum geúmatis.

Ibi ego te replebo A, *Ibi te replebo* reliqui. Mutavit Geppertus assentiturque ei Muellerus (P. P. p. 484); pronomine *ego* ex Ambrosiano adscito evitabimus hiatum molestum, quo Palatinorum scriptura laborat, si transposuerimus:

Ibi égo replebo te úsque unguentum geúmatis.[94])

8. *Pers. 573* (IV. 4. 24):

né, si ferro párseris,
Férreas *tibi túte* inpingi vídeas crassas cónpedis.

Sic Ritschelius ex Bothii coniectura librorum scripturam *tute tibi* mutavit, ni fallor, quod evitare voluit *tuté* cum ictu in ultima syllaba. Sed in hac re offensionem ullam esse negaverim, nam item sese habent exempli gratia:

Curcl. 9 (I. 1. 9). Tuté tibi puer es.

Cistell. II. 3. 21. Tuté tibi indigne dotem quaeras corpore.

Itaque equidem cum Seyfferto (Philol. XXV, p. 460) tralaticia scriptura servata sic hunc versum scribo:

Férreas tuté tibi inpingi vídeas crassas cónpedis.[95]).

Licet autem etiam ita vocabula transponere:

Férreas tute ínpingi tibi vídeas crassas cónpedis.

9. *Pers. 614* (IV. 4. 62):

---

93) de quarti pedis dactylo cf. R, proll. p. 276 squ.

94) Idem Brixium, Fleckeis. annal. 1870, p. 771, proposuisse video.

95) Accedit quod *tuté* in ea versus sede exstat — in primo senarii iambici pede Ritsch., proll. p. 236) — in qua talis accentus inelegantia satis est excusabilis.

Dó *tibi ego* óperam.

Sic scripsit Ritschelius codicis A auctoritatem secutus; praestat autem hoc quoque loco scriptura librorum Palatinorum *ego tibi;* ad quam servandam tres viae patent. Scribere enim possumus:

aut *Do égo tibi óperam,*
aut *Do égo operám tibi,*
aut *Do óperam egó tibi.*[96]).

Et cum in hoc versu tam egregie codicum Palatinorum testimonio adiuvemur, in *Most v. 804* (III. 2. 117):

Dó *tibi ego* óperam

vel contra libros (discrepantia enim horum non adnotata est) iisdem medelis nostro iure uti poterimus.

10. *Stich. 293* (II. 1. 21):

'Ad me adiri et súpplicari *mi égomet* aequom cénseo.

Sic ediderunt Ritschelius Fleckeisenusque contra libros, qui omnes praebent *egomet mihi.* Atque concedendum quidem est, hanc scripturam, si tradita esset, offensionis nihil habere, cum recte viderit Muellerus (P. P. p. 34) *mihi* non ad *egomet censeo* spectare, sed ex *supplicandi* pendere verbo; sed eodem referri posse mihi videtur, etiamsi traditam pronominum collocationem retinemus; [dativus *mihi* cum adiectivo *aequom* coniungi nequit, cum hoc, quantum ego videam, a Plautino sermone omnino abhorreat]. Equidem igitur hunc versum ita scribendum proposuerim:

'Ad me adiri et súpplicari égomet mi aequom cénseo.[97])

11. *Trin. 824* (IV. 1. 5):

'Atque *tibi ego,* Neptúne, ante alios deós gratis ago atque
hábeo summas.

---

96) cf. quae dixi ad Curcl. 656.

97) Idem placuit Seyfferto, Philol. XXV, p. 460: hiatus in diaeresi nihil offensionis habet.

Sic Ritschelius Fleckeisenusque praeeunte Bothio librorum scripturam: *ego neptune tibi* B, *ego neq' neptune tibi* C, *neque neptune tibi* D correxerunt. Quomodo versus scribendus sit, pendet ex altera illa quaestione, quali numerorum genere hanc scenam constare statuamus. Ritschelius enim (Parerg. p. 543 squ.) et Fleckeisenus trochaicos octonarios restituerunt, contra anapaesticos numeros agnoscere sibi visi sunt Studemundius (de cant. Plaut. p. 56), Buechelerus (grundr. d. lat. decl. p. 66), Muellerus (P. P. p. 112), Brixius (in append. crit. ad. Trin. p. 126 sec. ed.); neque ego ab his viris dissentio, cum hoc modo satis multae mutationes evitentur, quibus ad restituendos trochaicos versus opus est. Itaque equidem cum Brixio sic ut scribatur suadeo:

Atque égo, Neptune, tibi ánte alios deos grátis ago atque habeó summas.

Si quis vero trochaicos octonarios statuere malet, ei cum Guyeto corrigere licebit:

'Atque ego tibi, Neptúne, ante alios deós gratis ago atque hábeo summas.

12. *Truc.* IV. 2. 46:

Iam hércle *tibi ego* inlécebra ludos fáciam clamore ín via.

ego tibi B *ego tibi* CD, *tibi ego* Spengelius, qua scriptura non solum nostram de pronominum collocatione legem neglexit, sed etiam aliam quandam de collocatione interiectionis *hercle*.

De huius collocatione compluria iam disseruit Seyffertus, Stud. Plaut. (progr. berol. a. 1874) pp. 5. 15. 17. 18. 24; liceat igitur mihi paucis modo demonstrare, scripsisse Plautum semper fere *hercle ego* atque plerumque ita, ut nulla alia vox intercedat. Quod iam intellexisse videtur Ritschelius, cum ad Stich. 497 de Gelliana scriptura *Nunc ego hercle perii plane non obnoxie* dicat rectius scribendum ei fuisse: *Nunc*

hercle ego; non enim ponitur *ego* ante *hercle*, nisi si hac interiectione cum alia vocula coniuncta pronominis vis urgetur, ut:

Asin. 843 atque *ego* **quidem hercle.**
861. *Ego* **quoque hercle** etc.
Aul. 562. Non potem *ego* **quidem hercle.**
Most. 577. *Ego* **hercle vero** clamo.
Men. 216. *Ego* **hercle vero** etc.
516. *Ego* **hercle vero.**

Confirmatur autem illud quod diximus, Plautum collocasse *hercle* ante *ego*, his locis:

Amph. 556. Asin. 39 263. Aul. 53 59 248 250 453 662 821. Capt. 464 913. Cas. 464 490[98]) 571[99]) 677 748. Cistell. IV. 1. 10[100]). Most. 386 586. Men. 301[101]) 471[102]) 509 619 642. Mil. 858. Merc. 264 980. Pseud. 912. Poen. 364 1291. Pers. 143. Rud. 721 769 1085. Stich. 437 646. Trucl. II. 2. 13 II. 4. 6 II. 7. 51 IV. 2. 16.

Dirimuntur *hercle* et *ego* aliis vocabulis in his versibus:

Capt. 649. Cas. 811. Mil. 581 1308[103]). Trin. 560.

Minime autem evertitur haec norma his locis:

Pseud. 223. Reprehendam *ego cuncta hercle* una opera.
Pers. 588. *Ego scio hercle* utrumque velle.[104]).
Stich. 250. *Ego illuc mehercle* vero eo quantum potest.

cum *hercle* vel *mehercle* augeat vim vocabulorum *cuncta, scio, illuc.*

---

98) ***At hercle ego*** A; ***atque ego hercle*** B.
99) cf. Seyffert., p. 25.
100) cf. Seyffert., p. 17.
101) ***hercle ego*** A; ***hercle*** reliqui.
102) ***ego*** R, itidem Fleckeis.; omm. libri.
103) cf. R, N. Pl. Exc. p. 71 squ.
104) ***ego scioer deutrumque*** B.

Iam vero exstant aliquot versus, in quae prava collocatio ab editoribus demum contra librorum auctoritatem illata est:

Aul. 410. *Atat perii hercle miser ego;* sic Wagnerus; *hercle ego miser* BJγ; cf. Seyffert., Stud. Plaut. p. 24; Fleckeis., ann. 1871, p. 814 hanc scripturam proponit: *Attat, perii hercle ego miser: (senex) aperit Bacchanal, adest (iam) — Sequitur.* Prior pars versus sic recte sese habet.

Curcl. 520 (IV. 2. 34), *bene ego hercle vendidi te* Fleckeis.; *bene hercle vendidi ego te* Pareus, librorum discrepantia non adnotata.

Cas. 798. *ego hercle invitus vapulo* Geppert.; *vapulo hercle ego invitus* codices.

Epid. 318. *Hercle ego illum semel si prendero* Geppert.; *Si hercle ego illum semel prehendero* codd., cf. Aul. 248; [Most. 912, Merc. 993.].

Rud. 1131 (IV. 4. 87). *Perii miser ego hercle* Fleckeis.; *Perii hercle ego miser* Pareus; cf. Seyffert., p. 24; Fleckeis. annal. 1871, p. 814 nunc iam recte scripsit: *Perii hercle ego miser.*

Trin. 946. *(Taceo ego) hercle* Ritschelius; *O hercle* B; *ohercle* CD.

Secundum ea, quae exposuimus, hoc non recte fecerunt viri docti, sed emendare hos versus (Curcl. 520. Cas. 798. Epid. 318. Trin. 946), ne longius a proposito aberremus, alii et tempori et loco reservare nobis liceat.

Iam vero, ut redeamus ad Truculenti versum, unde digressi sumus, apparet, Spengelium traditam collocationem *hercle ego* mutare non debuisse. Recipienda igitur est vel hanc ob causam tralaticia scriptura *ego tibi.* Hanc Muellerus (P. P.

p. 343) retinere noluit, quod offendit in correpta prima syllaba vocabuli *inlecebra* et in iambico pronomine *egŏ́;* ac ne hiatum quidem statuere ei placuit inter *tibi* et *inlecebra* (P. P. p. 710). Verum enim vero transpositiones vocabulorum, quas proponit (p. 343), probari nequeunt; sed scribendum est, aut si pressius libros sequi volumus:

Iam hércle egŏ́ tibi inlécebra ludos fáciam clamore ín via,[105])

aut: *Iam hércle ego ínlecebrá tibi ludos fáciam clamore ín via*[106]).

b.

Aliquotiens vel Ritschelius ipse vel reliqui editores versus in libris recte traditos, quos antea minus iustis rationibus inducti mutaverant, nunc iam ipsi ad genuinam formam legi a nobis constitutae accommodatam restituerunt. Velut Ritschelio, cum priores Plautinas fabulas ederet, persuasum erat pronominum *mihi tibi sibi* ultimas syllabas productionem numquam in senariis septenariisque admittere, nisi ubi pausa fieret vocis vel orationis (cf. proll. p. 169). Nunc autem post copiosam hac de re Spengelii disputationem (T. M. Plautus p. 55 squ.) constat harum syllabarum productionem cautiones habere nullas, id quod et ipse Ritschelius iam concedit (cf. Trin. v. 480, de quo infra agetur). In his igitur versibus editorum commenta et expulsa et expellenda sunt:

1. *Most. 886* (IV. 2. 3):

Mane tu átque adsiste hic ílico, Phanísce: respice étiam. ‖

Mihi (tú) molestus né sies.

mihi molestus ne sis B. *Tu*, quod a Ritschelio additum est, vel propterea ferri nequit, quod in hac formula: *molestus ne*

105) cf. quae dixi ad Curcl. 656.

106) Geppertus scripsit: ***Iam hércle ego tibi, pellecebra*** etc., sed Plautus modo plurali huius vocis numero usus videtur esse, cf. Asin. 133 (I. 2. 7). Bacch. 1167 (V. 2. 47).

Ceterum omnes scrupuli evanescerent, si nobis liceret recipere accusativum in hac formula multo usitatiorem: ***Iam hércle ego téd, inlécebra*** etc., sed librorum auctoritas obstat.

sis, potine ut molestus ne sis vel similiter expressa pronomen *tu* nunquam additur[107]. Totum autem hunc locum equidem cum Studemundio (de cant. Plaut. p. 70 squ.) Lorenzioque cod. B. secutus sic scribo:

Mané tu atque adsiste ílico,

Phanísce, etiam réspice. ‖ *Mihí molestus né sis.*[108]).

Item Ritschelii additamenta rursus recidenda sunt hisce locis:

2. *Men. 1080* (V. 9. 21):

Túum *tibi (ego)* neque óccupare néque praeripere póstulo.

3. *Merc. 762* (IV. 4. 22):

Mihi (tú) quidem hercle. ‖ 'Ita me amabit Júppiter[109]).

4. *Trin. 480* (II. 4. 79):

Rem fábulare. ‖ Nón *tibi (ego)* dicám dolo[110]).

Ut evitaret, ni fallor, hiatum, Ritschelius contra libros sic edidit:

5. *Bacch. 381* (III. 1. 14):

Quíbus tuum patrém, *me*que una, amícos, adfinís tuos,
Túa *(tu)* infamiá fecisti gérulifigulos flágiti.

Rectius iam cum ipso Ritschelio (N. Pl. Exc. p. 68) scribemus: *Tuád* infamiá fecisti gérulifigulos flágiti.

Porro propter proceleusmaticum vitiosum *égo mihi* Ritschelius duce Hermanno scripserat[111]):

6. *Trin. 313* (II. 2. 32):

---

107) Exempla huius formulae collegit Fleckeis. Philol. II, p. 92: ne *mihi* quidem additur nisi quinquies praeter nostrum locum: Men. 606. Merc. 768. Pseud. 118. Poen. 328. Trucl. V. 5. (cf. Studem., de cant. Plaut. p. 71).

108) Mueller., P. P. p. 32, 688 offendit in hiatu, qui exstat post *Phanisce*, sed sine iusta causa. Proposuerat quondam God. Herm. in Ritschelii Parerg. p. 505: *moléstus ne siés mihi*, item versum dimetiens atque Ritschelius.

109) Mueller., P. P. p. 653 offendit in hiatu, qui est post *hercle*; sed hic sane in personarum mutatione legitimus est.

110) cf. Speng., p. 58; R, proll. p. 169 squ. Transposuit quondam Fleckeis.: *Nón dolo dicám tibi.*

111) cf. proll. p. 290 squ.

'Istaec *mihi ego* sémper habui aetáti integumentúm meae.

Nunc iam et ipse in altera editione et Fleckeisenus Brixiusque recte scribunt:

'Istaec ego mi sémper habui aetáti integumentúm meae.

c.

Saepius editores ita in legem sermonis Plautini peccarunt, ut pronomen quod praeter libros sententia flagitari videretur, falso loco insererent.

1. *Asin. 20* (I. 1. 5):

Siquíd *med erga (tu)* hódie falsum díxeris etc.

Etsi Fleckeisenus *tu* uncis circumscripserit, tamen, cum Pareus, apud quem eodem modo legitur, de codicum scriptura taceat, atque etiam apud Lambinum *tu* inveniatur, nescio utrum editorum additamentum an librorum scripturam reiciam, si sublato *tu* cum Ritschelio, (N. Pl. Exc. p. 93,) scribo:

Siquíd med erga hocédie falsum díxeris[112]).

2. *Aul. 281* (II. 4. 4):

Me (tú) quidem hercle hic tám palam non dívides.

Dicam pro *hic tam* libri. *Tu*, quod abest a codd. BDJγ, iam inde a Camerario falso loco suppletum est. Nobis, si retinere pronomen volumus, scribendum erit:

(Tu) mé quidem hercle hic tám palam non dívides.

Num vero sic versus persanatus sit, equidem valde dubitaverim, nam *pălám* in quarto senarii pede ante *non dívidés* vix recte sese habet (cf. R, proll. p. 209 squ.). Itaque quamvis incertiore coniectura scripserim potius:

(Tu) mé quidem hercle vívom pálam non dívides.

Concedendum est, *tu* haut prorsus esse necessarium, sed

---

112) Spengelius quoque (T. M. Plautus p. 190) omittit *tu*, retinet autem *hodie*, cum in hiatu post penthemimerem iambicam non offendat.

cum aliorum emendationes adhuc propositae neque meliores et violentiores mihi esse videantur, Camerarium sequi malui[113]).

3. *Most. 1168* (V. 2. 46):

'Interimam hercle *(te) égo*, si vivo.

Te inseruit Bothius, quem Ritschelius et Lorenzius secuti sunt, quo facto nostrae et de pronominum et de interiectionis *hercle*[114]) collocatione normae laeduntur. Rectius igitur scribemus:

'Interimam hercle ego (té), si vivo.

4. *Men. 389* (II. 3. 38):

Égon te iussi cóquere? ‖ Certo *tíbi (tu)* et parasitó tuo.

Tu additum est ex Ritschelii coniectura a Brixio recepta; rectius insereretur post *certo* (cf. Mueller., P. P. p. 708), sed praestat Fleckeiseni inventum:

Certo tíbique et parasitó tuo[115]).

5. *Mil. Glor. 429* (II. 5. 19):

Quíd metuis? ‖ Enim né *(nos) nosmet* pérdiderimus úspiam.

Libri omittunt *nos*, atque ut videamus, num Bothius, quem recentiores editores secuti sunt, recto loco inseruerit *nos*, omnes loci, quibus apud Plautum pronomen *nosmet* exstat, perlustrandi nobis sunt:

Asin. 485 (II. 4. 78). Furcifer, *nosmet* fugitare censes? *(erum nosmet fugitare censes?* B).
Pseud. 463. Per nebulam *nosmet* scimus atque audivimus.
Poen. 248. Ne *nosmet* nostra etiam vitia eloquamur.
Rud. 159 (I. 2. 70). Si non moneas, *nosmet* meminimus.

---

113) Muellerus, P. P. p. 318 lusit: ***Me quidem hercle hic (hodie) tám palam non divides,*** sed vix recte. Idem (p. 714) Seyfferti coniecturam (Philol. XXVII, p. 436): ***Me quidem hercle, edicám palam, non divides*** recte reiecit.

114) cf. quae ad Truel. IV. 2. 46 exposita sunt.

115) cf. Stichi v. 661: Fero convivam Dionysum ***mihique et tibi.***

Stich. 532. *Nosmet* potius nos vicissatim oneremus voluptatibus[116]).
689. *Nosmet* inter nos ministremus monotropi.
Trin. 355. Deum virtute habemus, et qui *nosmet* utamur, pater, etc.
514. Quid edimus *nosmet* postea?
Trucl. I. 1. 38. Quom rem fidemque nosque *nosmet* perdimus.

Quibus omnibus locis *nosmet* nominativus est praeter Asin. v. 485; nam quin in Trucl. v. I. 1. 38 *nosmet* nominativus habendus sit, vix dubitari potest, cum particula *que* artissime cum antecedentibus accusativis *nos* coniungatur atque eam ob causam ipsum accusativus sit, necesse sit. In Asinariae autem versu illo *nosmet* illud quidem est accusativus, sed cum sit casus subiecti, proxime ad nominativum accedit.

Atque eodem modo secundum codices apud Plautum *vosmet* semper esse nominativum ex his exemplis apparet:

Capt. 676 squ. (III. 5. 18 squ.) Ita *vosmet* aiebatis itaque nomina
Inter vos permutastis.
Curcl. 498 (IV. 2. 12). Nec vobis auctor ullus est nec *vosmet* estis ulli.
Most. 96 squ. Atque hoc *vosmet* ipsi —
— quando dicta audietis
Mea, aliter hau dicetis.
636 squ. Solvite (scil. argentum)
Vosmet igitur, si salvomst. [*vos*^*met* C.]

---

116) sic Ritschelius Bothium secutus scripsit; ***nosmet potius oneremus nosmet v. v.*** BCDb, ***nos potius oneremus nosmet v. v.*** A, quem mihi recte Fleckeisenus et Buechelerus (Fleckeis. ann. 1863 p. 336) secuti videntur esse, cum haec duo enuntiata inter se opponantur: (531) ***Hodiene exoneramus navem, frater?*** et (532) **Nos** (accus.) ***potius*** **oneremus** ***nosmet***; accusativus ***nos***, in quo sententiae vis posita est, antecedere potest secundum ea, quae capite quinto exponemus.

Merc. 103. *Vosmet* videte, quam mihi valde placuerit.

270. *Vosmet* videte ceterum, quanti siem.

Poen. prol. 91. *Vosmet* nunc facite coniecturam ceterum etc.

Trucl. II. 5. 11. *Vosmet* iam videtis, ut ornata incedo.

His exemplis cave ne addas *Asin. prol. 15* apud Fleckeisenum sic scriptum:

Ut *vósmet* alias páriter nunc Mars ádiuvet.

Ut vos item alias Pareus, quod fortasse retineri potest, nisi praestat

Utí vos alias, páriter nunc Mars ádiuvet.

Quae cum ita sint, omnino alienum fuisse a Plauti dicendi usu horum pronominum accusativum, minime contenderim, attamen cavendum mihi videtur esse, ne ei coniecturis eum obtrudamus. Itaque haud scio an melius sit scribere *Militis v. 429* hoc modo:

Quíd metuis? ‖ Enim nósmet ne(nos)pérdiderimus úspiam.[117]).

6. *Rud. 1347* (V. 2. 60):

Tecúm tam *(tute)* habéto hoc, ubi iuráveris.

Haec est Fleckeiseni scriptura, cum libri praebere videantur: *Tecum hóc habeto támen, ubī iuráveris,* quod Bothius in verborum ordinem recepit. Sed secundum ea, quae Ritschelius (proll. p. 209 squ.) disseruit, in hoc versu vocabulum iambicum *ubī* in quarto pede ferri nequit; itaque facili sane mutatione hic versus ita scribi posse mihi videtur:

Tecum hóc habeto támen, ubi (tu) iuráveris.[118]).

TV ante IVRAVERIS facile evanescere atque omitti potuit.

7. *Rud. 1389* (V. 3. 33):

---

117) Seyffert., Philol. XXV, p. 460 in Bothiana huius versus scriptura non offendit, cum putet ***nosmet*** accusativum esse posse et hic et in Trucl. v. I. 1. 38; sed nisi omnino, tamen certe in Trucl. v. errat.

118) Muellerus, nachtr. z. P. P. p. 143 hanc emendationem proponit: ***Tecum hóc habeto támen, utut iuráveris***, sed vix probabilem.

Quándo ergo *erga té* benignus *(égo)* fui atque operá mea etc.

Fleckeisenus inseruit *ego*, contra legem nostram collocatum; equidem ita scribo:

Quándo ergo benígnus erga té fui atque operá mea etc.[119]).

II.

Non solum editorum incuria aliquotiens peccatum est in hanc quam constituimus collocationis verborum normam, verum saepe etiam librariorum neglegentia legitimum ordinem in codicibus turbatum esse consentaneum est. Quamquam non omnibus locis, ubi ea quam deteximus lex laesa videtur esse, traditam scripturam corrigendam esse ex eis apparet, quae capite quinto disseremus, in quo condiciones exponemus, sub quibus a legitimo ordine pronominum recedere licuit. Attamen restant quae nullam nobis excusationem admittere videntur quaeque iam nunc componere atque corrigere in animo est. Atque eximendi sunt ex corruptorum numero ante omnia duo versus, in quibus legitimus ordo etsi laesus videtur esse tamen servatus est.

1. *Aul. 707* squ. (IV. 9. 3 squ.):

Óbsecro *vos ego mi* aúxilio

Oro óbtestor, sitís;

in hoc enim versu difficultas nulla est, dummodo recte inter *vos* et *ego* paululum distinguamus, non, ut fecit Pareus, inter *ego* et *mi*; ita *ego* cum *oro obtestor*, *mi* cum *auxilio sitis* coniungendum est.

2. *Cist. I. 1. 2* squ.:

tum id *mihi* hodie

Aperuisti *tu atque haec;*

in qua pronominum collocatione offendi non potest, cum *tu* cum altero subiecto *haec* artissime coniungatur.

---

119) Caesuram principalem post quintam arsim statuerim, ne incidat inter praepositionem et casum ex illa pendentem.

Reliqui vero versus, qui contra librorum auctoritatem mutandi nobis videntur, hi sunt:

1. *Aul. 49* (I. 1. 10):

Testúdineum istum *tíbi ego* grandibó gradum.

Quae scriptura etsi nititur et auctoritate codd. BDJγ (de B cf. Wagneri praefat. p. 66) et testimonio Nonii, p. 115, vix ulla excusatione defendi posse videtur. Hanc ob rem igitur scribendum erit:

Testúdineum istum egŏ' tibi grandibó gradum,[120])

nisi cui fortasse propter oxytonesin pronominis *egŏ'* melius videtur scribere:

Testúdineum égo tibi ístum grandibó gradum.[121]).

2. *Aul. 87* (I. 2. 9):

Aráneas *mihi ego* íllas servarí volo.

Pro vulgata hac scriptura facillima transpositione scribendum est:

Aráneas ego mi íllas servarí volo,

nisi dativum *mihi* cum vi quadam in sede insolita positum esse statuamus (cf. quae infra in cap. V. disseremus), ut sententia sit: araneas illas, quas tu despicis, mihi, utpote pauperi, aptissimas servari volo.

3. *Aul. 789* (IV. 10. 66):

Eí mihi, quod fácinus *ex te ego* aúdio?

De hoc versu iam egit Kochius in Fleckeiseni annal. 1873, p. 842, ubi docuit talibus locis pronomen *ego* excipere solere interrogativum (idem observavit Seyffertus, Stud. Plaut. p. 9); cf. Aul. 608; Truc. II. 4. 31 etc. Accedit autem, quod in hac formula saepius usurpata: *quid ego ex te audio?* vel *quod ego*

120) cf. quae dixi ad Curcl. 656.

121) De proceleusmatico in secundo iambici senarii pede cf. R., proll. p. 288 squ.

facinus audio ex te? vel similiter expressa (Aul. 727. Epid. 44; 238. Most. 365. Men. 1070. Pseud. 347. Rud. 739. Trin. 1080. Aul. 814. Mil. 289) nunquam lex nostra neglecta est. Itaque cum Kochio Seyffertoque scribendum esse censeo:

Ei mihi, quod ego fácinus ex ted aúdio?

4. *Cas. 345* (II. 8. 13):

Ut *tibi ego* inventus sum óbsequens!

Ne quis dicat, hanc pronominum collocationem excusari exclamatione, compluria exempla collegi, quibus contrarium demonstretur:

Bacch. 148. ut *ego te* usurpem lubens.

Pseud. 944. Ut *ego* ob tuam, Simmia, perfidiam *te* amo et metuo et magnifico.

946. Ut *ego* hodie *te* accipiam lepide.

Rud. 363 (II. 3. 33). ut *ego* amo *te*.

Stich. 465. ut *ego* nunc *te* conspicio lubens.

Unde etiam apparet, *ego* quam proxime ad *ut* poni solere. Hic igitur versus legi nostrae satisfaciet:

Ut égo tibi invéntus sum óbsequens, aut etiam *Ut egŏ' tibi invéntus*[122]) etc.

5. *Mil. Glor. 1213* (IV. 5. 14):

Quíd opust verbis? líbertatem *tíbi ego* et divitiás dabo.

Quem si legi nostrae accommodare volumus, duae nobis viae patent; scribere enim possumus aut:

Quíd opust verbis? líbertatem ego ét divitias tíbi dabo, aut:

Quíd opust verbis? líbertatem et dívitias ego tíbi dabo.

6. *Pseud. 908* (IV. 1. 4):

Set ubi íllic est? sumne ego homo ínsipiens, qui lóquar haec *mecum egomét* solus?

122) cf. quae dixi ad Curcl. 656.

Sic scripsit hunc versum Ritschelius; numeros habemus anapaesticos (cf. Studemund., de cant. Plaut. p. 57), non, ut Fleckeiseno placuit, trochaicos; atque rectum vidit Muellerus, qui librorum sriptura *qui haec mecum egomet loquar solus* servata, versum anapaesticum septenarium descripsit (P. P. p. 97), qua in re Seyffertus (Philol. XXV, p. 460 squ.) cum eo consentit. Lex autem nostra observabitur transponendo:

Set ubi illic est? sumne ego homo insipiens, qui egomét
mecum haec loquar sólus?[123]).

7. *Poen. 1380* (V. 7. 25):

Quod míhi par facere sít, *mecum egomet* cónsulam.

Liceat mihi etiam hunc versum hoc loco tractare, quamvis exstet in scena suppositicia; est enim illa ex antiquitate repetenda (cf. R, Parerg. p. 601).

Teste Pareo in libris legitur *par facere sit quom egomet*, Gepperto in cod. C (Decurt.) *sit cum egomet*, unde scripsit *sit mecum egomet.* Ego hanc emendationem proposuerim:

Quod míhi par facere sít, ego mecum cónsulam[124]).

8) *Stich. 708* (V. 4, 26):

Tíbi propino. décumum a fonte *tibi tute* inde, sí sapis.

tibi te A, *tibi tute* reliqui libri, sed utrumque ferri nequit. Recte autem iam Seyffertus (Philol. XXV, p. 461) pronomina sic transposuit:

Tíbi propino. décumum a fonte túte tibi inde, sí sapis.

Caput II.
A.

Postquam vidimus a Plauto nominativum pronominis

123) Idem proposuit l. l. Seyffertus. De verbi ***loquar*** prosodia cf. Mueller., P. P. p. 118.

124) Etiamsi ***egomet mecum*** multo saepius apud Plautum invenitur, tamen non desunt exempla, ubi ***ego mecum*** legitur, cf. Aul. 690. Cas. 21. Quod vero proposuit Seyffert. (Philol. XXV. p. 461): ***quid*** mihi par ***facerest***, ***égomet mecum*** cónsulam, propterea improbandum est, quod coniunctivus mutari nequit; cf. Poen. 1386 et Beckerum in Studemundii Stud. p. 196.

personalis semper poni ante eiusdem pronominis casum obliquum, sibi constans poeta fuisse nobis videtur, quod etiam **in accusativis cum infinitivis posuit accusativum, qui est subiecti casus, ante reliquos pronominis personalis casus.** Hunc enim fuisse Plauti dicendi usum ex his exemplis apparebit:

Amph. prol. 22 24 squ. 64; 522 731 759 760 911. **Asin.** prol. 9; 229 461 732 squ. 836. **Aul.** 159 250[1]) 672 776. **Capt.** 175 *Propterea* te *vocari* (ad me) *ad cenam volo.*[2]) 243 249 260 264 322 350 403 *Neque te conmeruisse culpam, neque* me *advorsatum* tibi.[3]) 405 *Neque* med *umquam deseruisse* te *neque factis neque fide.*[3]) 428 703 868. **Cas.** prol. 4; 1 squ. 51[4]) 176 squ. 178 277. **Curc.** 417 420. **Cist.** I. 1. 9 squ. II. 3. 11; II. 3. 40 squ. **Epid.** 74 306 squ. 402[5]) 578 squ. 624[6]). **Bacch.** 76 squ. 97 squ. 260 637 *ego ut opem* te mihi — *Ferre putem posse inopem;*[7]) 742 · 787 989 998 1025[8]) 1170[9]). **Most.** 100 *Simul gnaruris* vos *volo esse hanc rem* mecum[10]) 176[11]) 1005[12]) 1079 1084 1132 1134 *Age mitte istaec:* te ad me *ad cenam dic venturum. Quid taces?*[13]). **Men.** 388 398 480 813 squ.

1) ***te*** deest a B: ***ego te me*** . . cum ras. D; ***video ego te hercle*** Pall. nonnulli; Wagnerus secutus est Jγ.

2) ***vocari ad te ad nam volo*** B, et ***ad*** punctis subnotatum et littera ***t*** mutata in ***c***.

3) Brixius scripsit in ed. II.: ***neque te advorsatum mihi***, atque exposuit in adnot. ad hunc versum (400 illius editionis) cur mutaverit; cuius sententiam ego sequor. Tum autem in v. 405 (402), ut legi nostrae supra dictae satisfiat, scribendum erit: ***neque ted umquam deseruisse me***, nam ***ted*** est subiectum huius enuntiati.

4) ***me tibi*** pro ***te mihi*** Palat. et Paris.

5) ***prorsus se*** omm. omnes codd. praeter Lang.

6) ***me . . . auream*** B.

7) ***Egone ut opem mihi ferre putem posse inopem te*** B.

8) cf. Bergk., beitr. z. lat. gr. p. 43.

9) ***me*** add. R.

10) sic Turnebus. ***Simul gna ruri suo*** B; ***simul gnarurisuo*** CD.

11) ***mihi te assentari*** C.

12) ***ne me te vocare*** Camer.: ***ne me tue vocare*** BCD.

13) sic. R; ***Age mitte ista acito ad me ad cenam || dic venturum quid taces?*** B: Seyffert., Philol. XXV. p. 453 hanc scripturam suasit: ***age mitte ista ac (c)ito ad me ad cenam dic venturum***; fortasse recte.

1043[14]) 1050[15]) 1075 1141. **Mil.** 217 *Tibi ego dico: an, heureta,* (me) *hauscis* te *adloqui?*[16]) 366[17]) 515 553 555 *Et ibi osculantem* m(e aput te *hanc vidisse h*)*os*(*pitam.*[18]) 618 620 squ.[19]) 1080 1217. **Merc.** prol. 37 49; 150 424 462 764. **Pseud.** 115 378 383 *Nunc, Calidore,* te mihi *operam dare volo.*[20]) 634 729 902 990[21]) 1314. **Poen.** 139 291 520 556 800. **Pers.** 42 119 169[22]) 171[23]) 432 720 squ. 836. **Rud.** 308 433 991 1336. **Stich.** 266 267 509 511 514. **Trin.** 71 *Nisi tu* me mihimet *censes dicturum male.*[24]) 281 squ.[25]) 325 459 556 690 squ.[26]) 896 969[27]) 1139 squ. 1167. **Trucl.** II. 1. 26; II. 4. 86[28]); II. 6. 49; V. 56.

B.

Secundum hanc legem ii loci, qui in editionibus nostris ab ea abhorrent, emendandi sunt.

I.

Ac primum quidem tralaticia codicum scriptura servanda est in:

1. *Amph. 1024* (IV. 2. 4):

Sósia. ‖ Ita: sum Sósia, nisi (*mei*) *me* ésse oblitum exístumas.

---

14) *mihi* B, omm. reliqui.

15) *te* B, omm. reliqui; *men'* casus subiecti est.

16) sic R; *anheriatus uestis heus te adloqui* BCD.

17) *Tu te* Gruter.; *tute* A; *Tute me* vel *Tu te me* reliqui.

18) sic R coniecit ex his litteris in A traditis: *Et ibi osculantem m* . . . . *os* . . —

19) *ex* Bothius, *te ex* libri; *mei te* Bothius, *mihi* libri.

20) sic A; *Sed nunc Calidore operam mihi te volo dare* reliqui.

21) *me recte tibi* A; *tibi me recte* reliqui, quod recepit Fleckeisenus.

22) cf. Nonium, p. 10.

23) *una* (v. 170) *me equidem* A: *unam equidem* reliqui; *tibi spectatam* AF; *bis spectatam* BCDa.

24) sic A; *tute* (vel *tu te*) *mihi me* reliqui.

25) *mihi* add. R; *nec ullum* omisso *mihi* Brixius.

26) Reinh. Klotz, Fleckeis. annal. 1863, p. 627 proposuit: *Si sine dote dem, dedisse,* quod recte recepit Brixius in ed. II: *si sine, dedisse* BCD; mutavit Camer.

27) *te a me* Hermannus; *a me te* libri.

28) *se* CD; *semihi* C; Nonius (p. 139) et *se* et *mihi* om.

Genetivus *mei*, quem Fleckeisenus supplevit, non modo contra normam nostram collocatus est, sed etiam propterea suspicionem movet, quod apud Plautum verbum *obliviscendi*[29]) coniunctum cum genetivo non invenitur. Quapropter acquiescendum videtur esse in librorum scriptura, quam et ipse Fleckeisenus postea in miscellaneis criticis (1864) p. 22 egregie tuitus est:

Sósia. ‖ *Ita: sum Sósiā, nisi me ésse oblitum exístumas.*[30]).

2. *Aul. 158* (II. 1. 38):

Eam sí iubes, fratér, *tibi me* póscere, poscam.

Haec pronominum collocatio, quae in cod. J tradita est, per se spectata nihil offensionis illa quidem praebet, cum antecedat vocativus *frater* (qua de re cf. quae infra in cap. V. disseremus); tamen cum B, cui in his rebus plus auctoritatis tribuendum esse censeo, exhibeat *me tibi*, vel hanc ob causam scriptura illa a Bothio et Wagnero recepta minus probabilis videtur. Atque accedit aliud: *póscere* pugnare cum Lachmanniana illa de dactylo pro trochaeo usurpato lege (cf. ad Lucr. II. 719) vidit Fleckeisenus, qui propterea in annal. 1867, p. 631 squ. hanc emendatam scripturam proposuit:

Eam sí iubes me póscere, fratér, tibi poscam.

3. *Pseud. 105* (I. 1. 103):

Spero álicunde hodie méa bona opera hercle aút mala
Tibi me ínventurum esse aúxilium argentárium.

---

29) Exstat verbum *obliviscendi* apud Plautum his locis: Amph. 457; Asin. 226; Capt. 985; Cas. 16; 819; Bacch. 790; Most. 487; Mil. 1359. Merc. 481; Pseud. 171; Poen. prol. 40; 118; Trin. 1014; 1137; Trucl. II. 1. 24; IV. 2. 23.

Trin. 1018 sic in editionibus nostris scriptus est:

tríbusne te potériis
Mémoriae esse oblitum?

Sic scribitur inde a Gulielmo, qui hunc in modum correxit traditum *memoria*; sed nunc iam apparet, scribendum esse *memoriam*, quod etiam Seyffertus proponit, Stud. Plaut. p. 26.

30) De *Sosiā* cf. Mueller., P, P. p. 5.

Sic correxit Ritschelius librorum BCD scripturam:

Spero alicunde hodie *me* bona opera aut haec (vel *hec*) mea
Tibi inventurum esse auxilium argentarium

eumque secutus est Fleckeisenus. Iam vero, utcunque exitus prioris versus (104) restituendus est, sive cum Seyfferto (Philol. XXV, p. 447 squ.) scribere volumus *hodie me* (aut *mea*) *bona opera ut antidhac*, sive aliam emendationem praeferimus, hoc pro certo affirmare possumus, traditum pronominum ordinem mutari non debere[31]).

4. Immerito denique ad evitandum hiatum scripserat Ritschelius:

Pseud. 983 (IV. 2. 26):

Hánc epistulam áccipe a me: *tíbi med* hanc iussít dare.

hanc me tibi libri; sed nunc iam ipse (N. Pl. Exc. p. 45) docuit traditam scripturam ita posse servari, ut *med* ante diaeresin restituatur:

Hánc epistulam áccipe a med: hánc me tibi iussít dare.

quamquam dubitare licet, num re vera hiatus in diaeresi corrigendus sit. (cf. Spengel., T. M. Pl. p. 187, Bergk., beitr. z. lat. gr. p. 47). Quae vero Muellerus (P. P. p. 566) contra huius versus scripturam profert, mihi nimis spinosa atque artificiosa videntur esse.

II.

In ipsis codicibus autem falso traditi atque etiam contra eorum auctoritatem emendandi sunt hi loci:

1. *Capt. 210* (II. 1. 17):

'Unum exoráre *vos* sínite *nos*. ‖ Quidnam id est?

Vos est accusativus ex verbo *exorandi* pendens; quam pronominum collocationem nisi fortasse sic excusare malumus,

31) cf. de hoc loco Lorenzium, Philol. XXXV, p. 157, ubi Seyfferti illa coniectura audacior nominatur.

ut obiectum *vos* quam proxime coniunctum esse cum verbo regente *exorare* statuamus, quocum conferri potest Epid. 319: *Nunquam* irridere nos *inultum illunce*, *servom hominem*, sinam, facile corrigere possumus scribendo:

'Unum exoráre nos sínite vos.

Non autem mutandus mihi videtur esse:

Cas. 744 (V. 2. 14), quem hoc loco tractare mihi liceat:

Réppulit míhi manum néque etiam dáre *síbi* sávium
mé sinit;

poeta enim noster saepius ex verbo *sinere* non proprie accus. c. inf. pendentem fecisse mihi videtur, sed alterum pronomen est obiectum ad verbum *sinere* spectans, alterum referendum est ad infinitivum, qui pendet ex *sinere* cum obiecto coniuncto. Quod nostra germanica lingua sic distinguere possumus: usus est Plautus ea verborum constructione, quae respondet nostris verbis: *sie gestattet nicht, dass ich ihr einen Kuss gebe* (acc. c. inf.) et ea, quam nos adhibemus, si dicimus: *sie gestattet mir nicht, ihr einen Kuss zu geben.*

2. *Capt. 236* (II. 1. 39):

Fíunt. nunc út *mihi té* volo esse aútumo.

Mihi te est in B secundum Pareum; sed quantilli negotii est hunc versum ad normam quam repperimus transponendo ita redigere:

Fíunt. nunc út volo té mihi esse aútumo.[32]).

Dicat autem fortasse quispiam, licuisse Plauto in gravioribus canticorum metris a lege sibi imposita recedere; verum enim vero equidem huic opinioni prae exiguo sane exemplorum numero, in quibus mutationibus opus est, assentiri nequeo.

32) Bothius quoque transposuit pronomina hunc ad modum: *Núnc uti té volo mí esse, ita esse aútumo.*

3. *Epid. 129* (I. 2. 31):

Quid rettulit

Mihi tantopere *té* mandare et míttere ad me epístulas?

Cui versui haec forma reddenda erit:

Té tantopere míhi mandare et míttere ad me epístulas?

quae duplicis quoque allitterationis elegantia mihi commendari videtur.

4. *Epid. 653* (V. 2. 4):

'Alium *tibi te* cómitem meliust quaérere: ita dum té sequor etc.

com. te mel. qu. B secundum Pareum, *te com. te* B et libri Lang. secundum Geppertum; unde apparere mihi videtur in cod. archetypo *te* supra lineolam additum fuisse atque haesisse librarios, quonam loco inserendum esset. Ego igitur suadeo, ut scribatur:

'Alium te tibi cómitem meliust quaérere.

5. *Bacch. 58* (I. 1. 24):

Sét ego *aput me te* ésse ob eam rem, míles quom veniát, volo.

Quem versum facili pronominum transpositione ita corrigere possumus:

Sét ego te esse apút me ob eam rem, míles quom veniát, volo.

Corruptela autem fortasse inde orta est, quod librarius ad initium praecedentis versus: *Egomet*, *aput me* etc. aberravit.

6. *Pseud. 982* (IV. 2. 25):

Érus meus *tibi mé* salutem múltam voluit dícere.

Nil credo obstat, quominus in hoc quoque versu legitimum pronominum ordinem restituamus scribendo:

Érus meus me tibi salutem múltam voluit dícere.

7. *Poen. 517* (III. 1. 23):

Prídie *nos te* ádvocatos húc duxisse opórtuit.

Quin pronominum sedes inter se mutandae sint, dubitari nequit; cum vero *pridie* apud Plautum semper creticum pedem efficiat (cf. Brix., praef. ad Trin., ed. II, p. 19, adn. 39; Mueller., nachtr. z. P. P. p. 68; cf. contra Ritschelium, N. Pl. Exc. p. 43), scribendum nobis erit:

Prídie advocátos te nos húc duxisse opórtuit.

Cogitaveram quondam de tali versu: *Pridem te nos etc.*, sed nunc iam mihi persuasi apud Plautum *pridem* significare idem fere quod *nuper* (cf. Amph. 692 [II. 2. 60], ubi Fleck. om. *pridem;* Aul. 310; 314. Cas. 357. Rud. 1249 [IV. 7. 23), quod ad sententiam huius loci non quadrat; nostrum autem *schon laengst* est *iampridem.*

8. *Stich. 631* (IV. 2. 50):

Núnc ego nollo *mi* éx Gelasimo fíeri *te* Catagélasimum.

Sic scripserunt Ritschelius Fleckeisenusque, nisi quod hic *nolo.* Cod. A haec exhibet: *nolo ex Gelasimo mihi fi~~~ Catagelasimum* (cum lacuna post *fi*), reliqui libri: *nolo* (vel *nollo*) *e gelasimo mihi te catagelasimum.* Equidem hunc versum sanare posse mihi videor scribendo:

Núnc ego nollo ex Gélasimo te mí fieri Catagélasimum;

cui emendationi non obstant ea, quae de *mi* in arsi posito disputavit Ritschelius, proll. p. 291 squ.; nam nunc iam ipse de hac re aliter iudicare videtur, sicut apparet ex eis quae in Trin. v. 927 in editione altera ad scripturam *Mí latitabat* adnotavit, se in substituta cum Reizio *mi* forma nunc non offendere. De anapaestico vero vocabulo *fieri* cf. quae exposuit Ritschelius in proll. p. 213.

9. *Trucl. II. 7. 25:*

Érus meus tuos óculus *ad te* férre *me* haec iussít *tibi*

Dóna quae vides íllos ferre.

Ita scripsit Spengelius auctore Gepperto, sed recte iam

Seyffertus, Stud. Plaut. p. 30 negavit intellegi posse, cur *ocellus*, quod praebeant libri, mutandum sit. Quod attinet ad pronomina, haec est librorum scriptura: *at te me ferre me B*, *atte ferre me* CD. Nec Gepperti Spengeliique scriptura ferri potest, neque ea, quam proposuit Seyffertus l. l.: *'Erus, ocellus túus, ab se deférre me haéc iussít tibi*, quae etsi sententiae quidem satisfacit, tamen legem nostram neglegit. *Anteferre* autem, quod suasit Bothius pro *ad te ferre*, Plautinum non est; ceterum totus hic locus tam male in codd. habitus est, ut de certa medela ei adhibenda desperandum esse existimem. Mihi *at te me*, quod est in B, varia lectio videtur esse pro *me tibi*, quamobrem fortasse sic scribi potest:

Haéc erus meus, túos ocellus, férre me iussít tibi.

Nihil autem offensionis praebent hi versus:

1. *Cas. 375* (II. 8. 43):

Concrédui: is *mihi sé* locum dixít dare;

in quo versu *mihi* ad *dixit* spectare posse concedendum est, etiamsi fateor, mihi multo magis placere atque melius ad sententiam quadrare videri (superioribus enim versibus dictum est *apud hunc mihi locus est paratus*), si *mihi* cum verbo *dare* coniunctum sit; ceterum hoc facile effici potest transpositione:

is se míhi locum dixít dare.

2. *Merc. 55* (I. 1. 59):

Convítium tot *me* ánnos iam *se* páscere.

[*se pascere* Dousa atque Bentleius ad Hor. carm. I. 37. 9; *si pasceret* CD]. Quod *me* quam proxime ad *convitium*, quocum coniungendum est, positum est, vix quidquam offensionis habere potest[33]).

3. *Pseud. 701* (II. 4. 10):

33) Dziatzko, Mus. Rhen. 1871, p. 421 hunc versum Plautinum esse negat.

'Is *mihi* haec *sese* éffecturum díxit, quae dixí tibi.

Nil credo obstat, quominus *mihi* ad *dixit* spectare statuamus.

Caput III.

A.

Iam, ut erat propositum, exponatur, quam normam poeta noster observaverit, si bini casus obliqui pronominis personalis in eodem enuntiato exstant.

I.

Ac primum quidem sciendum est, **accusativum praecedere ceteros casus**; inveniuntur autem huius generis haec exempla:

a.

accusativus ponitur ante genetivum:

Bacch. 379. Neque mei neque *te tui* intus puditumst factis quae facis[1]).

b.

accusativus ponitur ante dativum:

Amph. 909. Et id huc revorti uti *me* purgarem *tibi*.
Asin. 72. Neque puduit eum — beneficiis *me* emere gnatum suum *sibi*.
850. Quin *te* ergo hilarum das *mihi?*
905. *Te*, Philenium, *mihi* atque uxori mortem.
Capt. 620. Set primum hoc *med* expurgare *tibi* volo[2]).
1012. is *te mihi*
Parvolum peculiarem parvolo puero dedit.
Cas. 220. Di *te* servassint *mihi*.
465. Ne *me* nequicquam *sibi* hodie advocaverit.
Cist. IV. 2. 78. sociam *te mihi* adopto ad meam salutem.
Bacch. 1155. Pudet dicere *me tibi* quiddam[3]).
Most. 204. Solam ille *me* soli *sibi* suo aere liberavit.

1) ***te tui*** libri (nisi quod ***te*** e corr. B) et Priscianus, lib. VIII. (rec. Hertz. I. p. 421); lib. XI. (I. p. 561) ***tui te***.

2) ***Sed hoc primum me expurigare tibi volo***, Brix. in ed. II; recte.

3) Pronomina illa quidem non in eodem enuntiato exstant, sed cum tam arte inter se coniuncta sint, praeterire hoc exemplum nolui.

Men. 449. Menaechmus *se* subterduxit *mihi*.
491. Ut surrupuisti *te mihi* dudum de foro.
1016. Quid *me vobis* tactiost?
Mil. Gl. 23. *Me sibi* habeto.
333. Hic obsistam, ne inprudenti huc ea *se* subrepsit *mihi*.
517. *Med* expurgare *tibi* videtur aequius[4]).
611. Ecce *nos tibi* obedientis.
1019. Cedo *te mihi* solae solum.
Merc. 489. Pol sanus si sim, non *te* medicum *mi* expetam.
Pseud. 122. Di *te mihi* semper servent[5]).
715. *Vos* molestos *mihi?*
907. Quom *te* adiutorem genuerunt *mihi* etc.
934. Juppiter *te mihi* servet.
Poen. 522. Nunc *vos* quia *mihi* advocatos dixi et testis ducere etc.
1047. is *me sibi* adoptavit filium.
1257. Priusquam *te mihi* desponderit!
1270. Tum profecto *me sibi* habeant scurrae ludificatui.
Rud. 219. Neque quicquam umquam is id profuit, qui *(me) sibi* eduxerunt[6]).
1338. Venus Cyrenensis, testem *te* testor *mihi*.
Stich. 101. — qui *nos* socias sumpserunt *sibi*.
744. — Nisi *me vobis* exornarem.
Trin. 384. Di *te* servassint *mihi*.
627. noli avorsari, neque *te* occultassis *mihi*.
Trucl. II. 4. 85. Ostendit *sese* iam *mihi* medullitus[7]).

c.

accusativus ponitur ante accusativum ex praepositione pendentem:

Amph. prol. 20. Pater huc *me* misit *ad vos* oratum meus.
892. Si *me* illam amantem *ad sese* studeam recipere.
Asin. 206. quom inliciebas *me ad te* blande ac benedice.

---

4) cf. R., opuscl. II, p. 431, qui nunc hunc v. recte scribit: *Me expurigare haec tibi vid. aequ.*
5) *dii te* Z; *dicite* Ba C.
6) Libri mss. non praebent *me*, sed iam legitur apud Pareum.
7) *sese iam mihi* Nonius p. 139; *mihi iam sese* BCD.

Capt. 831. Hic homo ad cenam recipit *se ad me*. || Aperite hasce ambas foris[8]).
Curcl. 60. ut quaeque illi occasiost — Subrupere *se ad me* etc.
Cist. I. 1. 11 squ. Ita in prandio *nos* lepide atque nitide
Accepisti *apud te*.
I. 1. 91. Obsecro, quo is homo insinuavit pacto *se ad te?*
III. 1. 5 quibuscum *te* illa olim *ad me* detulit.
III. 2. 1. Recipe *me ad te*, mors, amicum et benevolum.
Bacch. 1007. Pudet prodire *me ad te* in conspectum, pater[9]).
1178. At scin quo pacto *me ad te* intro abducas?
Men 847. hi domum *me ad se* auferent.
1145. Nam illa quom *te ad se* vocabat, memet esse credidit.
Mil. Gl. 121. Hic postquam in aedis *me ad se* deduxit domum, etc.
676. Deum virtute satis est, unde accipiam *te aput me* comiter[10]).
712. *me ad se* ad prandium, ad cenam vocant.
Pseud. 867. Quaeso, qui possum, doce,
Bonum animum habere, qui *te ad me* adducam domum?[11]).
1153. *Te ad me* misit Polymachaeroplagides?
Poen. 1271. Is etiam *me* ad prandium *ad se* adduxit ignavissumus.
Pers. 46. Quicquid erit, recipe *te ad me*[12]).
678. Per angiportum rursum *te ad me* recipito.
Rud. 497. quom in aedis *me ad te* adduxisti tuas.
Stich. 511. quom *me ad se* ad cenam vocat.
Trin. 442. Meus gnatus *me ad te* misit.
1171. ne *me* leviorem *erga te* putes[13]).

d.

accusativus ponitur ante ablativum ex praepositione pendentem:

---

8) Item exhibet Brixius hunc versum atque eodem modo collocata Pareus haec verba tradit. Fleck., ep. crit. p. 22 proposuit ad evitandum hiatum post *me: Hic homo recipit se ad me ad cenam*, et Mueller., P. P. p. 646 scribere vult *sese*, quorum utrumque non necessarium est, cum hiatus et diaeresi et mutata persona satis excusetur.
9) cf. adnot. 3 huius capitis ad Bacch. v. 1155.
10) *em tasenunde hospitio accipiem apud me commitas* B, similiterque CD; *est eundem hospitio accipiam*, Nonius p. 415.
11) *te ad te me* B.
12) *recipete ad mae* B, *recipite ad me* CD.
13) sic Hermannus; *ne te leviorem erga me* libri.

Amph. 580. Vaha, apage *te a me.*

Capt. 435. Quom *me* servom in servitute *pro te* hic reliqueris.

Most. 432. Quoniam amisisti *me a te* vix vivom modo[14]).

436. Apage, apage *te a me.*

Men. 671. Quae *me* non excludet *ab se,* set aput se occludet domi.

Merc. 357. Iam hinc olim *(me)* invitum domo extrusit *ab se*[15]).

Poen. 596. Ne hic *vos mecum* conspicetur leno.

Hanc autem de accusativi collocatione legem Plauto neglegere nonnunquam placuit apud verba reflexiva; quae res admirationem haud habet; pronomen enim tertiae personae *se* hac condicione cum verbo regente unum quasi verbum, certe unam notionem efficit, quam ob rem consentaneum videtur esse, *se* quam proxime cum eo coniungi; atque hoc plerumque ita factum est, ut pronomen *se* nullo vocabulo intercedente ab ipso verbo dirimatur. Cuius rei haec exempla afferri possunt:

Aulul. 47. At scin, quo modo *tibi* res *se habet?*

794. Ita *mihi* ad malum malae res plurumae *se adglutinant.*

Capt. 517. Nunc spes opes auxiliaque *a me segregant spernuntque se*[16]).

Mil. Gl. 343. Ne *tibi* clam *se subterducat* istinc atque huc transeat.

Merc. 384. Quid illuc est, quod ille *a me* solus *se* in consilium *sevocat?*

Trucl. IV. 4. 38. *ad me* recta *se tenet.*

II.

Simili modo etiam dativi collocatio certis finibus circumscripta est, ita enim, **ut collocetur dativus ante accusativum et ablativum ex praepositione pendentes;** quod his exemplis confirmatur:

Amph. 400. Nec *nobis praeter me* quisquamst alius servos Sosia.

833. Ut *mi extra unum te* mortalis nemo corpus corpore

---

14) ***Quom me amisisti ad te*** libri; nunc iam rectius scribit R, N. Pl. Exc. p. 49: ***Quom med amisisti a te vix vivom modo.***

15) ***me*** add. R.

16) Pareus in textu exhibet ***me*** atque adnotat: alii ***se,*** sed praeter libros.

Contigit.

Asin. 482. *Tibi* quidem *de nobis,* carnufex, detur supplicium?

920. Quid *tibi* hunc receptio *ad test* meum virum?

Aulul. 259. Nulla controversia *mihi tecum* erit.

623. quid *tibi mecumst* conmerci, senex?

Capt. 415. Merito tuo *tibi* ea evenerunt *a me.*

625 squ. nullam causam dico quin *mihi*
Et parentum et libertatis *aput te* deliquio siet.

746. Nam *mihi propter te* hoc optigit.

Cas. 9. Quid *tibi* negoti est *mecum?*

Epid. 79. nisi quid *tibi in tete* auxili est, absumptus es.

Bacch. 54. Quid est quod metuis? ne *tibi* lectus malitiam *aput me* suadeat?

Most. 296. Et edepol *mihi tecum* (scil. potare conlubitumst[17]).

418. Neque quicquam *nobis* pariant *ex se* incommodi[18]).

1142. Hercle *mihi tecum* cavendumst[19]).

Men. 151. eo *mi abs te* caveo cautius.

185. Ego istic *mihi* hodie adparari iussim *aput te* proelium.

208. Iube igitur tribus *nobis aput te* prandium accurarier.

302 squ. Non scis quis ego sim, *tibimet* qui saepissume
Cyathisso *aput nos* —?

323. Quid *tibi* nam *mecumst* rei?

494. Adulescens, quaeso, quid *tibi* nam *mecumst* rei —?

648. Nil *mihi tecumst.*

677. Scio: *tibi ex me* ut sit volup.

826. Quaeso, quid *mihi tecumst?*

Mil. 502. Nisi *mihi* supplicium virgeum *de te* datur etc.

511. Nisi *mihi* supplicium stimuleum *de te* datur etc[20]).

951 squ. quae *tibi*
Condicio nova luculenta fertur *per me* interpretem.

---

17) cf. huius capitis adnot. 3.

18) sic Camer.: ***ex eis incommodi*** B; ***ex ei incommodi*** CD.

19) Most. v. 155 (I. 2. 76): Optumi quique expetebant ***a me*** doctrinam ***sibi*** a Ritschelio uncis circumscriptus est; et revera offensionem habet pluralis ***optumi quique,*** qui a Plautino sermone alienus est: praeterea autem propter vitiosam pronominum collocationem suspicionem mihi movet; quam ob rem non dubito eum Plautinum esse negare.

20) ***mihi*** Lambinus; ***t.*** (c. ras.) Ba; ***t***^{i} Bb; ***tibi*** reliqui. ***de te datur*** Lamb.; ***dedatur*** CD FZ, ***datur*** B.

Pseud. 61. Nisi quid *mi in ted* est auxili.
71. Nisi quae *mi in ted* est aut *tibist in me* salus[21]).
320. Sicine *mi abs te* bene merenti male refertur gratia?
474. Cavendumst *mi aps te* irato.
Poen. 390. Nam *mihi* iam video *propter te* victitandum sorbilo.
1329. Quid *tibi mecum* autem?
Pers. 376. Lubere *tibi per me* licere intellego[22]).
492. Ita me dei ament, ut ob istanc rem *tibi* multa bona instant *a me*.
Stich. 519. Pax commerciumquest *vobis mecum*.
663. locus liber datust
Mihi et tibi aput vos.
Trin. 1142 squ. Meo adlegatu venit, quasi qui aurum *mihi*
Ferret *aps te*.
Truc. I. 2. 45. Male vortit res pecuaria *mihi aput vos*.

Semel modo, quantum ego video, sequitur dativum solus ablativus:

Amph. 610. *Mihi* quidem *uno te* plus etiamst quam volo.

III.

Exempla, ex quibus appareat, quomodo genetivus horum pronominum cum reliquis praeter accusativum casibus coniungatur, desunt;

Mil. enim v. 971 squ.: Nunc te orare atque obsecrare iussit, ut *tui copiam*
Sibi potestatemque facias,

aliter sese habet, cum *tui* non ad verbum huius enuntiati spectet, sed artissime ex *copiam* pendeat.

IV.

Restat, ut de accusativi et ablativi ex praepositione pendentium inter se collocatione agatur. Ac si quid ex ceterorum casuum analogia concludere nobis licet, **accusativum**

21) sic R; *mihi intestauit ibi est* BCD.
22) sic A; *per me tibi* reliqui.

ex praepositione pendentem ante ablativum collocatum esse exspectamus. Neque haec opinio nos fallit, inveniuntur enim huius generis quattuor haec exempla:

Epid. 595. Si undecim deos *praeter sese secum* adducat Juppiter etc.
Merc. 788. Ut veniat *ad me* iam semul *tecum* huc.
Poen. 336. quando *apud me mecum* caput et corpus copulas?
Truc. I. 2. 18. iam pol cumpse *ad nos* si domi erit *mecum* adducam.

Praeterea autem Plautus in collocandis his casibus etiam hanc legem secutus videtur esse, **ut utrumque, aut alterum certe, poneret prope illud vocabulum, quocum construendo coniungendus est;** velut in *Men. v. 731 squ.*:

I, Decio, quaere meum patrem, *tecum simul*
Ut **veniat ad me;**

tecum et *simul* atque *veniat* et *ad me* arte coniungenda sunt. Ad quod exemplum etiam haec accedunt:

Bacch. 527. Mnesilochum ut requiram atque ut eum *mecum* **ad te adducam** *simul*.
Mil. 912. Quasique anulum huic ancillula *tua abs te* **detulerit ad me**[23]).
1232. Ille illas spernit *segregatque ab se* **omnis extra te unam**[24]).
Rud. 1210. iam investigabo et *mecum* **ad te adducam** *semul* Plesidippum.
Stich. 249. *Mecum simitu* ut **ires ad sese domum.**

Quae lex etiam in Epid. et Merc. versibus iam supra allatis observata est, atque eam ob causam fortasse quispiam dixerit inter haec duo genera nos non recte distinxisse; sed ex Truc. v. I. 2. 18, ubi utrumque pronomen ad *adducam* spectat, et ex Poen. v. 336 apparet, nostro iure contendisse nos accusativum ex praepositione pendentem poni ante eiusmodi ablativum.

23) sic Dc Z; *ac me* Da; *detulerit ame* BC.
24) sic Camer.; *segregat hasce* CD; *segregat hec* B,

Atque ad eandem normam referendi et propter eam excusandi sunt hi loci:

Bacch. 1104. Certo **hic prope me** *mihi* loqui nescio quis visust.

Poen. 1041. Ergo **hic apud me** hospitium *tibi* praebebitur..

B.

Emendandi igitur sunt ii versus, in quibus pronomina contra has leges collocata sunt.

I.

Atque retinenda est librorum scriptura in his versibus:

a.

1. *Pseud. 308* (I. 3. 74):

Nílne *mei* miserét *te?* ‖ Inanis cédis: dicta nón sonant.

Bothio auctore sic Ritschelius hunc versum scripsit; in cod. A exstat: *te miseret*, quod defendi posse Ritschelius concedit Fleckeisenusque recepit. Sed ex scriptura codd. BCD: *temet miseret* facillime verum illud erui potest, quod iam interpolati libri FZ praebent: *te mei miseret.* Hoc si restituimus, talis versus existit:

Nílne te miserét mei? ‖ *Inanis cédis: dicta nón sonant.*

b.

2. *Curcl. 539* (IV. 3. 7):

Né *mihi te* faciás ferocem aut súpplicare cénseas.

Fleckeisenus mutavit tralaticiam scripturam *te mihi* (ita enim est in B), ni fallor, propter vitiosum proceleusmaticum, quem sic quoque evitare possumus:

Né te facias míhi ferocem aut súpplicare cénseas,

quamquam concedendum est, hac ratione allitterationis *fac. fer.* gratum sonum paululum obscurari; quare haud scio an hoc loco praestet scribere: *Né te mí faciás* etc.;[25]).

3. *Mil. Glor. 623* (III. 1. 29):

25) cf. enim quae dicta sunt ad Stich. 631.

Éam pudet *tibi me* ín senecta obícere sollicitúdinem.

Ita ediderunt Ritschelius Lorenziusque praeeunte Bothio; libri recte exhibent *me tibi,* quod iure secutus est Fleckeisenus scribens:

'Eam pudet me tíbi in senecta obícere sollicitúdinem.[26])

d.

4. *Pers. 654* (IV. 4. 102):

ubi mé sciet

Vaénisse, aderit húc et *abs te* rédimet *me.* ‖ Quid núnc? ‖

Quid est?

Venisse huc aderit hic libri. Ritschelius in pronominibus collocandis Bothium secutus est, quem recte eruisse dicit *abs te me redimet* e librorum scriptura *me absentem redimet.* Sed si quid ego video, potius in his verbis recta pronominum collocatio *me abs te redimet* latere mihi videtur; quae ne Ritschelium quidem fugit, cum in adnotatione ad hunc versum dicat, defendi posse etiam talem versum:

Vaénisse, aderit húc et me abs te rédimet. ‖ *quid ais núnc?* ‖

quid est?

Propius vero ad codicum memoriam mihi accedere videtur quod proposuit Fleckeisenus (Exerc. p. 49):

Vénum ivisse huc, áderit et me abs té redimet. ‖ *quid núnc?* ‖

quid est?

II.

Contra codices autem restituendus est legitimus ordo:

Aul. 736 (IV. 10. 13):

'At ego deos credó voluisse, ut *ápud me te* in nervo énicem.

Lorenzio auctore codd. BD exhibent *apud me te,* Wagnero Jγ *apud te me.* Nobis autem hic versus ita scribendus videtur:

26) cf. Mueller., P. P. p. 133.

'At ego deos credó voluisse, ut téd aput me in nervo énicem.

C.

Restant pauci versus, qui cum legibus supra constitutis pugnare videntur; sed excusationem his invenire posse mihi videor:

1. *Amph. 327* (I. 1. 170):

'Illic homo *a me sibi* malam rem arcéssit iumentó suo.

Nescio an poeta *sibi* cum *malam rem* artius coniungere voluerit, ita ut unam quasi notionem efficerent.

2. *Capt. 441* (II. 3. 81):

Sérva *tibi* in perpétuom amicum *me* átque hunc inventum ínveni.

In quo versu *tibi* non ad *serva* referendum est, sed spectat ad adiectivum *amicum;* quamobrem Bothiana verborum collocatio *in perpetuum tibi amicum me* haud ita displiceret, nisi vulgata scriptura codice B niteretur.

Non autem eadem ratione excusari potest *Pers. 35* (I. 1. 36):

Fácere amicum *tíbi me* potis es sémpiternum,

si quidem Camerarius *amicum* vocabulum recte restituit (*cum* vacuo spatio praemisso BC; *Cum* sine spatio D); hoc enim loco *amicum* substantivi munere fungitur, cum additum sit adiectivum *sempiternum.* Itaque hic versus ita scribendus erit:

Fácere amicum mé tibi potis es sémpiternum.

3. *Bacch. 356 squ.* (II. 3. 122 squ.):

Si quidem híc relinquet, néque *secum* abducét senex
Med ét Mnesilochum.

Hic versus nihil offensionis praebere potest eam ob causam, quod *med* cum altero obiecto *Mnesilochum* artissime coniungatur; atque ob eandem causam excusationem habet:

Rud. 350 (II. 3. 20): huc
Recépit *ad se* Véneria haec sacérdos *me et Palaéstram*[27].

4. *Pseud. 520* (I. 5. 105):

Servítum *tibi me* abdúcito, ni fécero.

Tibi cum *servitum, me* cum *abducito* coniungendum est.

5. *Rud. 1046* (IV. 4. 2):

Métuo *propter vós* mea uxor né *me* extrudat aédibus.

In hoc versu omnia recte sese habebunt, si cum Pareo post *propter vos* commate distinguemus.

6. *Trucl. II. 4. 38 squ.:*

Propter mílitem
Babylóniensem quí quasi uxorém *sibi*
Me habébat annum dum híc fuit[28].

Nescio an vocabula *uxorem sibi* artius coniungenda sint, ita ut idem quod *uxorem suam* significent.

Caput IV.

Ablativus absolutus quoque, cuius subiectum pronomen personale est, quomodo ponatur, si coniungitur cum aliis huius pronominis casibus, exponendum nobis est. Quamvis enim pauca huiusmodi exempla praesto sint, tamen has leges constituere posse mihi videor:

I.

Nominativus pronominis personalis praecedit ablativum absolutum:

Asin. 466. *Ego* certe *me incerto* scio hoc daturum nemini homini.

Aul. 749. *Tun* habeas *me invito* meam?

Capt. 739. Quor *ego te invito* me esse salvom postulem?[1]).

27) cf. de his vv. etiam ea, quae in hoc capite sub A. IV extr. disseruimus.

28) Ceterum *anno dum* ex librorum scriptura *annoumdum* recte restituisse videtur Dombartus, Philol. XXVIII, p. 735.

1) Verba sic coniungenda mihi videntur esse: Quor ego te invito postulem me esse salvom?

Mil. 559. Si *ego me sciente* paterer etc.
865 squ. *tu* partem infortuni meam,
Si dividetur, *me absente* accipito tamen.
Stich. 132. Vosne *ego* patiar cum mendicis nuptas *me vivo* viris?
Trucl. II. 4. 32. Quod *tu* hic *me absente* novi negoti gesseris?[2]).

II.

Accusativus, qui est casus subiecti in accusativis cum infinitivis, ponitur ante ablativum absolutum:

Most. 230. vaenibit multo potius,
Quam *te me vivo* umquam sinam egere aut mendicare.
Pers. 597. Ne temere hanc *te* emisse dicas *me impulsore aut inlice*[3]).

III.

Ablativus absolutus ponitur ante casus obliquos pronominis personalis:

Amph. 663. Ecastor *med haut invita se* domum recipit suam.
Asin. 584. Quod *sese apsente mihi* fidem habere noluisset.
Epid. 61. videre commeruisse hic *me absente in te* aliquid mali.
Most. 1016. Quod *me absente (tecum)* hic filius
Negoti gessit[4]).

Quibus cum regulis non pugnare mihi videtur:
Rud. 712 (III. 4. 7):
Méas *mihi* ancillás *invito me* éripis;
eo enim, quod *mihi* tam arte cum *meas* coniunxit, poeta, ni egregie fallor, pronominis possessivi vim augere voluit.

Caput V.

Supra iam dixi (in cap. I, A extr.) esse quasdam condiciones, quibus a poeta nostro alia pronominum collocatio admissa sit, vel potius dicam, admittenda fuerit. Atque omnes illae condiciones ad hanc unam referri posse mihi videntur: **si in pronominis casu obliquo gravior sen-**

---

2) *tu me hic absente* A; *tu hic absente me* BCD; *tu hic me absente* Taubmannus.
3) *te* B cum A; omm. reliqui; *me imp. aut inl.* A; *suasu atque impulsu meo* reliqui.
4) *tecum* add. Camerarius.

tentiae vis posita est, is a Plauto priore loco, i. e. ante alterum pronomen collocari potuit; talis enim collocatio ipsa linguarum natura excusatur vel postulatur atque imprimis vivido sermone cotidiano, cuius proprium est ita singula vocabula ponere, ut quae cuique vis tribuenda sit statim appareat.

Ante omnia autem nobis id agendum erit, ut exponamus, quibus condicionibus sententiae gravior vis in pronomine personali posita esse possit.

I. Ac primum quidem hoc fit, si pronomen accentu logico effertur, quod etiam accidit, si pronomina duo inter se opponuntur.

II. Tum vero praecedente vel sequente aut vocativo aut interiectione aut imperativo linguarum naturae consentaneum est, pronomen secundae personae, quippe in quo hoc modo elatior accentus positus sit, quoad fieri potest, in initio enuntiati poni; ita autem fieri potest, ut usitata pronominum collocatio neglegi videatur.

III. Denique in interrogationibus, quae admirationem quandam loquentis exprimant, saepius casus obliquus pronominis priore loco propter eandem causam ponitur.

Iam vero quae dixi exemplis mihi probanda sunt.

I.

A.

Casus obliquus ponitur ante nominativum, aut ante accusativum, qui est casus subiecti in acc. c. inf., aut ante accusativum obiecti, aut contra ceteras leges constitutas, si in eo accentus logicus positus est; hoc autem fieri ex his rebus cognoscitur:

a.

ex propria vocula pronominis vim augente:

Asin. 176. *Mihi quidem te* parcere aequomst tandem.

208. *Me unice unum* ex omnibus *te* atque illam amare aibas mihi.
Men. 370 squ. Quia pol *te unum* ex omnibus
Venus *me* voluit magnificare.
Pseud. 214. *Te ipsam* culleo *ego* cras faciam ut deportere in pergulam.
Pers. 20. *Mihi quidem tu* iam cras mortuos, quia non te visitavi.
627. *Mihi quoque* Lucridem confido fore *te*.

b.

ex sequente enuntiato secundario, quod causam primarii exprimit:

Bacch. 178 squ. Mirumst *me*, ut redeam, *te* opere tanto quaesere,
Qui abire hinc nullo pacto possim, si velim.
Mil. 32. Ne hercle operae pretium quidemst
Mihi te narrare, *tuas qui virtutis sciam.*
Rud. prol. 28. Idcirco moneo *vos ego* hoc, *qui estis boni.*

c.

ex pronominum chiasmo:

Aul. 223. Ut *propter me tibi* sit melius *mihique propter te* et tuos.
Capt. 259 squ. Neque pol *tibi nos*, quia nos servas, aequomst vitio vortere,
Neque *te nobis*, si hinc abeamus, si fuat occasio.
Bacch. 160. *Tibi ego* an *tu mihi* servos es?

Chiasmum quendam habemus etiam in his vv. Aul. 128. 130. 304, ita ut primum ponatur pron. sec. pers., deinde bis pron. prim. pers., tum iterum pron. sec. pers., aut versa vice:

128. cogitato
Tibi proxumam *me mihi*que esse item *te*[1]).
130. Ita aequomst —
Et *mihi te* et *tibi me* consulere[2]).
304. Haec ut *mihi te, tibi me* est aequom credere[3]).

---

1) *me* deest in J.
2) *me* post *tibi* deest in BD.
3) *Nec mihi te ut tibi me aequum est credere credo* B, et (nisi *haec* pro *nec*) D, itemque fere Jγ; emendavit Acidalius. Ritschelius, N. Pl. Exc. p. 48 squ. transpositis vv. 304 et 305 hunc locum sic scribendum proponit: *Hoc tibi me, ut mihi ted, aequomst credo credere.*

d.

ex anaphora pronominum:

Asin. 148. *Te ego* ulciscar, *te ego* ut digna's perdam atque ut de me meres.
Mil. 331. *Mihi ego* video, *mihi ego* sapio, *(mihi) ego* credo plurumum[4]).

e.

Denique ex sententia totius loci colligendum est, pronomen accentu logico efferri; qua in re cum saepe lubricum sit iudicium, venia mihi petenda est, si forte a veritate saepius aberraverim. In satis magno autem exemplorum numero adiuvamur ictu versus, quo pronomen effertur, si quidem is ictus in eam vocem cadit, cui etiam logicus accentus tribuendus est; quod fit in his versibus:

α) Amph. prol. 48 squ. Gratum arbitratur esse id *a vobis sibi*
Meritoque *vóbis* bona *se* facere quae facit.
503. Edepol haut quod *túi me* neque domi distaedeat.
Asin. 171. Dedi equidem quod mecum egisti. ‖ Et *tíbi ego* missi mulierem.
735. Has *tíbi nos* pactis legibus dare iussit.
933. Pol si aliut nil sit, *túi me*, uxor, pudet.
Aul. 424 squ. Sed in aedibus quid *tíbi* meis nam erat negoti
Me absente, nisi ego iusseram?
752. Quid *tíbi ego* referam?
Curcl. 688. Quid *tecúmst mihi?*[5]).
Cas. 494. Satin *proptér te* pereo *ego* atque occasio?
767. quia *míhi te* expetivi, mel meum.
Cist. II. 1. 30. *Pró me* responsa *tibi.*
III. 2. 7. Nihil *mecúm tibi.*
Epid. 109. Quid *tibi mé* vis facere?[6]).

---

4) *mihi* add. Pylades.
5) *quid mecumst tibi* Pareus, nullam codicum discrepantiam afferens; cf. Cist. III. 2. 7; Men. 369; Stich. 333.
Pronomen cum praepos. regente tam arte coalescit, ut unam quasi vocem efficiant; itaque si ictus cadit in praep., etiam ad pronomen eius vis pertinet.
6) In hoc v. *tibi* eam ob causam ante *me* positum videtur esse, quod poeta *me* in arsi exstare voluit.

339. Dum *tibi ego* placeam atque obsequar, meum tergum floccifacio.
Bacch. 698. Immo si audias, quae dicta dixit *me ádvorsúm tibi.*
985. *Tibi me* iussit dare.
1144. Set quid est, quapropter *nóbis vos* malum minitamini?
Most. 293. *Tíbi me* exorno.
578. Quid *tíbi ego* morem vis geram?
Men. 369. Quid *mecúm tibi*
Fuit umquam aut nunc est negoti?
908. *Míhi se* ait dedisse.
1030. Iubeo hercle, si quid imperist *in té mihi.*
1144. Gaudeo edepol, si quid *propter mé tíbi* evenit boni.
Mil. 55. Quid *tíbi ego* dicam, quod omnes mortales sciunt —?
637. Plus dabo quam praedicabo *ex mé* venustatis *tibi.*
939. Quid *tíbi ego* mittam muneris?
Merc. 290. Quid *tíbi ego* aetatis videor?
351. Nunc si dico ut res est, atque illam *mihi me*
Emisse indico etc.
482. Satin' ut oblitus fui
Tíbi me narravisse?
Pseud. 467. Parvam esse *apút te mihi* fidem ipse intellego.
714. nolo *tibi* molestos esse *nos.*
1089. Meministin tute *tíbi me* dudum dicere —?
1155. Atque ut *á me* mulierem *tu* abduceres?
Poen. 509. Nec *tibi nós* nexi sumus istoc, quod tu ames aut oderis[7]).
544. *Nós tu* ne curassis.
1268. Patrue, facito in memoria habeas, tuam maiorem filiam
Míhi te despondisse.
Pers. 270. Ne *síbi me* credat supplicem fore.
343. Meum opino imperiumst in te, non *in mé tibi.*
433. Mirum quin *tíbi ego* crederem etc.
485. Quin *tíbi me* dico credere.
774. Quia *té* licet *me* liberam amplecti.
847. Malum vobis dabo. || At *tibí nos* dedimus dabimusque etiam.

7) cf. adnot. 6. huius capitis ad Epid. 109.

Rud. 245 squ. ut vix *mihí*
Credo *ego* hoc, te tenere.
581. *Tíbi ego* numquam credam quicquam nisi si accepto pignore.
718. *Té ego* appello.
950. Set boni consili ecquid *in té mihist?*
996. dare verba speras *míhi te* posse, furcifer.
1406 squ. Vin *tibí*
Conditionem luculentam ferre *me?*
Stich 333. Quid *mecúmst tibi?*
508. Satis abs te accipiam, nisi videam *mihi te* amicum esse, Antipho.
Trin. 163. Quid *tíbi ego* dicam?
688. Nolo ego *míhi te* tam prospicere[8]).
776 squ. Illi det alteram, alteram dicat *tibí*
Dare *sese* velle.
960. Quod *sibi mé* dedisse dixit[9]).
Truc. IV. 3. 61. Ego *tibí me* obnoxium esse fateor culpae compotem.

β) Non autem adiumentum illud praesto nobis est in his versibus:

Aul. 737. Quid *tibi* ergo meam *me invito* tactiost?
Men. 798. Non equidem *mihi te* advocatum, pater, adduxi, set viro[10]).
Mil. 1159. nunc *tibi* hanc *ego* inpero provinciam[11]).
Pseud. 251. Te volo. || At *vos ego* ambos.
Truc I. 1. 72 squ. Mihi verba retur dare se(se): an *me* censuit
Celare *se* potesse, gravida si foret?
II. 2. 11. Quid *tibi ego* maledico?

B.

Postquam igitur cognovimus, Plauto pronomen logico accentu elatum contra usitatas leges collocare licuisse, nunc iam facile intellegemus, hos locos nihil offensionis praebere:

8) In ed. II. Ritschelius adnotat, Kochium proposuisse ***tam te mihi;*** quae pronominum collocatio illa quidem nostrae legi in cap. II constitutae satisfacit, sed minime necessaria est.
9) cf. adnot. 6. huius capitis ad Epid. 109.
10) ***mihi te*** B; ***mittit*** CDa.
11) sic Bothius: ***nunc . . b . . . n*** — A; ***nunc hoc tibi ego*** reliqui. His verbis Palaestrio se ad Acroteleutium convertit, tum v. 1175 ad Pleusiclem; in ***tibi*** igitur utroque loco vis sententiae posita est.

1. *Amph. prol. 1 squ., 8 squ.;*

1) Ut *vós* in vostris vóltis mercimóniis
2) Emúndis vendundísque *me* laetúm lucris[12])
3) Adfícere atque adiuváre in rebus ómnibus etc.
8) Et utí bonis *vos* vóstrosque omnis núntiis
9) *Me* adfícere voltis, ea ádferam, ea uti núntiem,
10) Quae máxume in rem vóstram conmuném sient:
15) Ita huíc facietis fábulae siléntium
16) Itaque aéqui et iusti hic éritis omnes árbitri.

In pronomine *vos* in utroque versu (1 et 8) logicus accentus positus est, cum haec sit huius loci sententia: Ut vos a me in rebus vestris adiuvari vultis, ita ego nunc peto a vobis, ut sileatis atque iusti arbitri sitis.

2. *Men. 668* (IV. 2. 105):

Mále mihi uxor sé fecisse cénset, quom exclusít foras:

(*sese* libri, unde Brixius scripsit *mi uxor sese*).

Haec tralaticia scriptura ita defendi posse mihi videtur, ut statuamus Menaechmum non spectatoribus narrare, uxorem suam putare viro male fecisse se, nam hoc eam arbitrari omnes sciebant; immo vero ille mirabundus interrogat, num sibi uxor fecerit male atque omnino facere possit, cum alium locum habeat, quo intromittatur. Qua de causa post *foras* signum interrogationis ponendum est neque quidquam aliud mutandum, cum hoc modo in *mihi* accentum logicum positum esse facile intellegatur.

3. *Pers. 794* (V. 2. 16):

'At *tibi ego* contínuo cyatho óculum hoc excutiám tuum[13]).

Vix dubitari potest, quin recte Ritschelius hanc codicis

12) Item affert hos versus Priscianus, de metr. Terent. 10, rec. Hertz. vol. II. p. 421 squ.; cod. enim bibl. imp. 7496 (R) ***me laetum*** dilucido exhibet.

13) Non dubito recipere ***cyathod***, quod proposuit Ritschelius, N. Pl. Exc. p. 76; Muellerus, P. P. p. 92 anapaesticum esse hunc versum sibi persuasit.

B scripturam receperit, cum reliqui libri praebeant *ego tibi;* nam hanc collocationem et perbene excusari posse et vere esse Plautinam unusquisque intelleget, si respexerit verba, quae praecedunt: *ne te ad terram, scelus, adfligam,* ad quae Paegnium nostro versu respondet.

4. *Stich. 548* (IV. 1. 41 squ.):

Égo meam tibi fíliam, bene quícum cubitarés, dedi:
Núnc *mihi* reddi *ego* aécum esse *abs te,* quícum cubitem, cénseo.

In hoc versu nihil mutandum est, quod pronomina *mihi* et *ego* in duobus diversis enuntiatis exstant; accedit, quod pronomen *mihi* opponitur dativo *tibi* praecedentis versus. *Mihi* et *abs te* autem secundum normam nostram (cap. III.) collocata sunt.

5. *Stich. 628* (IV. 2. 48):

Quícumvis depúgno multo fácilius quam cúm fame. ||
Nóvi ego: *aput me* sátis spectatast *míhi* iam tua ista fácilitas.
Dúm parasitus mi átque fratri fúisti, rem confrégimus.

Sic scripserunt Ritschelius Fleckeisenusque v. 628, qui sic exstat in A: *no. ego ista apu* || . . *satis;* in B: *Non ergo isti apute satis;* in CD: *Non ego isti apud te satis* (cum spatio). Dicere autem vult Epignomus: apud me, i. e. domi meae, dum parasitus mihi atque fratri fuisti, satis tuam pugnandi facilitatem cognovi; in *aput me* igitur sententiae vis posita est, quam ob rem nihil mutandum est.

6. *Trin. 518* (II. 4. 117):

Arcáno *tibi ego* hoc díco, ne ille ex té sciat.

Facio equidem cum Brixio, qui et hoc loco et in v. 556 *arcano* esse adiectivum vidit; (his duobus modo locis Plautus hoc vocabulo usus est); quapropter in arta dativi *tibi* cum eo coniunctione haud ita offendi poterit; accedit autem, quod *arcano tibi* opponitur sequenti *ille*, ut igitur etiam ob hanc causam haec pronominum collocatio excusari possit.

II.

Nunc iam, ut erat propositum, exempla afferamus, ex quibus appareat, Plautum praecedente vel sequente aut vocativo aut interiectione aut imperativo, quae verborum genera inter se simillima sunt, casum obliquum secundae personae pronominis priore loco posuisse; his enim vocabulis efficitur, ut, praesertim in vivido sermone, pronomen illud graviore cum accentu pronuntietur; itaque secundum ea, quae modo disseruimus, suo iure alterum pronomen praecedit. Animadvertendum autem est, hoc quoque secundae personae pronomen saepissime in versus arsi positum esse.

a.

Pronominum collocationem apud vocativum haec exempla docent:

α) Pronomen sec. pers. in arsi exstat:

Aul. 420. Sed quid *tibí nos* tactiost, mendice homo, quae rest?[14]).
Curcl. 461. Leno, cave ne *in té* sit mora *mihi.*
Cas. 260. Quamquam ego censui *ábs te* posse hoc *me* impetrare, uxor mea.
Bacch. 92. mulier, *tíbi me* emancupo.
904. Ne supplicare, homo nihili, *(tíbi nos)* censeas[15]).
Mil. 217. *Tíbi ego* dico: an, heureta, me hauscis te adloqui?[16]).
434. *Tíbi ego* dico: heus, Philocomasium[17]).
Pseud. 243. Hodie nate, heus, hodie nate: *tíbi ego* dico: heus, hodie nate.
Poen. 1394. Ego, Poene, *tíbi me* purgatum volo[18]).

β) In his versibus pron. sec. pers. non in arsi positum est:

14) Paululum propius ad librorum scripturam accedit quod proposuit Ritschelius, Mus. Rhen. 1869, p. 488 in curis secundis ad N. Pl. Exc. I.: ***Sed quid tibi, mendice homo, nos tactiost? quae res?***; ***mendice homo*** enim BDJγ collocant ante ***tactiost***; ***res*** sine ***est*** BDγ.

15) ***tibi nos***add. R.

16) ***anheriatus uestis heus te adloqui*** BCD.

17) ***ego*** B; omm. reliqui.

18) Hic v. ex scena suppositicia sumptus est; ***me tibi pugnatum volo*** mss.

Asin. 132. capitis *te* perdam *ego* et filiam,
Pellecebrae, pernicies, adulescentum exitium.
Most. 528. Hercules, *te (ego)* invoco[19]).
Mil. 1057. quotiens hoc *tibi*, verbero, *ego* interdixi —?
Pseud. 227. Phoenicium, *tibi ego* haec loquor, deliciae summatum virum.

Haec eadem pronominum collocatio observata est, etiamsi vocativus non in eodem enuntiato exstat, sed paulo ante praecedit, aut paulo post sequitur:

α) Most. 747. Nunc hoc, quod *ád te* noster *me* misit senex etc.[20]).
Mil. 1316. Materque et soror
Tíbi salutem *me* iusserunt dicere[21]).
Poen. 771. Periisti leno; nam iste est huius vilicus,
Quem *tíbi nos* esse Spartiatem diximus.

β) Curcl. 12. Nam quo *te* dicam *ego* ire?[22]).
Poen. 1404. Quid ais, patrue? quando hinc ire cogitas Carthaginem?
Nam *tecum* una *me* ire certum est.
Pers. 335. Ea causa ad hoc exemplum *te* exornavi *ego:*
Vaenibis tu hodie, virgo.

Ex exemplis supra allatis elucet, pronomen secundae personae plerumque quam proxime ad vocativum apponi, itaque nescio an in *Most.* v. 194 etiam talis collocatio recta sit: Nolo ego *mi* male *te*, mea Scapha, praecipere[23]).

b.

Sequuntur exempla pronominum apud interiectionem collocationis:

α) Curcl. 516. Heus tu, *tíbi ego* dico.
Most. 34. Quid *tíbi* malum *me*, aut quid ego agam, curatiost?[24]).

19) ***ego*** add. R.
Ceterum Most. v. 174, quem Ritschelius in editione sua sic scripsit: ***Hercle ego ob hoc verbum te, Scapha, donabo hodie aliqui merito***, nunc iam N. Pl. Exc. p. 90 secundum libros recte restituit hunc in modum: ***Ergo hoc ob verbum té, Scapha, donabo ego hodied aliqui.***

20) post verba v. 746: ***Patrone, salve.***

21) in v. 1315 exstat: ***Philocomasium, salve.***

22) post vocat. ***Phaedrome*** in v. 2.

23) ***mi*** R; ***mei*** Ba CDF; ***meï*** Bb.

24) ***me aut*** Muret., Lamb.; ***mea ut*** libri.

Rud. 947. Eho (tu), operae pretiumst modo quod *tíbi ego* volo narrare.

β) Pseud. 912. Hem, *te* hercle *ego* circumspectabam.

c.

Post imperativum talem collocationem invenimus:

Mil. 1022. Patere atque asta: *tibi ego* hanc do operam[25]).

Pseud. 1149 squ. Accipe: hic sunt quinque argenti lectae numeratae minae.
Hoc *tibi* erus *me* iussit ferre Polymachaeroplagides.

III.

Venio nunc ad interrogationes, quae admirationem quandam loquentis exprimant; in quibus illud pronomen priorem locum obtinet, cui in pronuntiando maxima vocis vis impertitur. Atque horum enuntiatorum tria genera distingui possunt:

a.

Ea, in quibus interrogatio nulla particula aut alio vocabulo interrogativo indicatur:

Asin. 93. Defrudem *té ego?*

Capt. 611. *Tibi ego* abnuto?

Most. 16. Rus *míhi tu* obiectas?

Pseud. 318. *Tíbi ego* credam?

626. *Tíbi ego* dem?[26]).

b.

Interrogatio ex particula *ne* cognoscitur:

α) Mil. 627. Quid ais tu? itane *tíbi ego* videor oppido Acheruntieus?[27]).

Merc. 504. *Téne ego?* (scil. cur emerim?)

Poen. 369. *Méne ego praesente* illaec patiar dici?[28]).

Pers. 721. *Tíbine ego?* (scil. dem bonam operam?)

---

25) ***atque asta tibi*** Pius; ***atque sta tibi*** CDF; ***aequeastabi*** B.

26) ***hercle*** pro ***ego*** A.

27) cf. Nonium, p. 4, qui talem v. tradit: ***Quid ais to? tam tibi ego videor oppido hacheruntieus?*** Fleckeis., ep. crit. p. 26 hanc ob causam secundum Lindemannum scribendum proponit: ***Quid ais tu? tam tibi ego*** etc.; recte.

28) sic Guyotus; ***praesente patiar illaec*** A et Paris.; ***illaec patiar praesente*** BD. Recte sodalis quidam seminarii philol. Gryphiswaldensis, Bombe, observasse mihi videtur apud Plautum in ablativis absol. nullum vocabulum, praeter encliticas quasdam voces, intercedere inter subiectum et praedicatum talium enuntiatorum; itaque recte proposuit: ***Mén praesente ego illaec patiar dici?;*** accedit enim, quod participia ***praesente*** et ***absente*** in syllaba paenultima ictum habere solent.

Stich. 132. *Vósne ego* patiar cum mendicis nuptas me vivo viris?

β) Asin. 94. *Tene ego* defraudem, quoi ipsi nihil est in manu — ?

700. *Tene ego* veham?

Aul. 45. *Tibi egon* rationem reddam, stimulorum seges?[29]).

Pseud. 472. *Mihin* domino servos *tu* suscenses?

Trin. 515. *Tibi egon* rationem reddam?[30]).

c.

Interrogatio pendet ex coniunctione *ut:*

Men. 683. *Míhi tu* ut dederis pallam et spinter?[31]).

Pars II.

Omnia, quae adhuc exposita sunt, ad ea enuntiata pertinent, in quibus bini pronominis personalis casus coniuncti inveniuntur; iam vero exstant etiam tales versus, atque illi quidem admodum pauci, in quibus terni huius pronominis casus se excipiunt. Atque in collocandis iis Plautus easdem leges, quas iam cognitas habemus, observavit, ita ut primum obtineat nominativus, alterum accusativus, tertium dativus aut casus ex praepositione pendens, quod facile intellegitur ex his exemplis:

Mil. 497. *Tune te* expurges mihi — ?

567. Dato excruciandum me: *egomet me* dedam *tibi*[1]).

Stich. 510. Vocem *ego te ad me* ad cenam.

Mutavit hanc quoque collocationem poeta noster, si in uno ex his casibus sententiae vis posita est:

Curcl. 163. Sisto *ego tíbi me* et *míhi* contra itidem *(tu te)* ut sistas suadeo[2]).

---

29) ***ego*** Jγ, B cum ras. post hoc pronomen. ***Tibi enim 'rationem*** D. De Nonio cf. Wagneri notam ad hunc versum.

30) sic R; ***tibinegon*** A; ***tibi ego*** reliqui; cf. Aul. 45.

31) sic CDF; ***mihi ut tu*** B; cf. Priscian. V. 15 (rec. Hertz. I. p. 151), apud quem non exstat ***ut.***

1) ***excruciandum meegometmededam*** A. ***excruciatum me egomet dedam*** Bb; ***me. ego medidam*** BaC.

2) Recte additum mihi videtur esse ***tu;*** cur autem Fleckeisenus etiam ***te*** uncis circumscripserit nescio, nam iam legitur apud Pareum librorum discrepantia non adnotata.

Poen. 1345. Quin *egomet tíbi me* addico.

In Asin. v. 842. Scio equidem quam ob rem *mé,* pater, *tu* tristem credas nunc *tibi,*

utrum Plautus usitatam legem neglexerit, quod voluit in *me* accentum logicum positum esse, an propter vocativum *pater,* diiudicare non ausus sim.

Index.

Vita.

Antonius Hendricus Otto Mahler natus sum *Cussalini* a. d. III. Id. Octobr. a. h. s. LIII patre *Lauritio*, matre *Paulina* e gente *Utkiana*, Danis; patrem superiore anno repentina morte mihi ereptum esse valde doleo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum primordiis imbutus inde ab anno LXV gymnasium Cussalinense frequentare coepi, quod tum *Roedero* rectore florebat, nunc *a Pitanno* optime regitur. Maturitatis testimonio instructus inde ab auctumno a. LXXII Lipsiae studiis philologicis me dedi atque per tria semestria scholis usus sum *Brandis*, *Brockhausii*, *Curtii*, *Drobischii*, *Fritzschii*, *Heinzii*, *Hildebrandii*, *Hirzelii*, *Lipsii*, *Pueckerti*, *Ritschelii*, *Voigtii*, *Zarnckii* vv. ill.; proseminarii philologici, cui *Langius* praeerat, per sex menses sodalis fui. Studia ut conficerem tempore paschali a. LXXIV Gryphiswaldiam adii, ubi usque ad superioris anni auctumnum commoratus docentes audivi vv. ill. *Hillerum*, *Hirschium*, *Hoeferum*, *Kiesslingium*, *Preunerum*, *Schuppium*, *Susemihlium*, *Vögtium*, *Wilmannsium*. Seminarii regii philologici, *Kiesslingio et Hillero* moderantibus, per sex menses sodalis extraordinarius, per duo semestria ordinarius fui, atque etiam seminario historico ab *Hirschio*, exercitationibus archaeologicis et epigraphicis a *Preunero*, philosophicis a *Schuppio*, aristotelicis a *Susemihlio*, germanicis a *Wilmannsio* institutis interesse mihi licuit.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Sententiae controversae.

1. Mythologicae doctrinae in gymnasiis plus operae navandum esse censeo.
2. Aristoph. Nub. v. 151 pro *καταψυγείσῃ*, quod est in cod. Rav., *κᾆτα* (sic iam omnes fere editiones) *ψυχεῖσι* scribendum est.
3. Vell. Paterc. II. 90. 1 pro *annos* cum Cludio scribo *annis.*
4. Plaut. Curcl. v. 520 (IV. 2. 34) sic scribendum esse existimo: *Quid stúlta ploras? né time: bene hércle ego vendidí te.* (*bene hercle vendidi ego te* Pareus).
5. Plaut. Cas. v. 798 (V. 3. 15) equidem sic scribo: *Núgas istic dícere licet: invítus hercle ego vápulo.* (*vapulo hercle ego invitus* libri).
6. Plaut. Epid. v. 318 (III. 1. 6) recte scribit Muellerus (P. P. p. 334, cf. etiam p. 140 squ.): *'Absurde facis, qui ángas te animi. Si hércle ego illum semel préndero.*